



University of Kentucky
UKnowledge

Theses and Dissertations--Modern and
Classical Languages, Literature and Cultures

Modern and Classical Languages, Literature
and Cultures

2016

Duae M. A. Mureti Orationes in Platonis *Rem Publicam* Commentariis Instructae

Robert Stephen Hill

University of Kentucky, rstephenhill@gmail.com

Digital Object Identifier: <http://dx.doi.org/10.13023/ETD.2016.105>

[Right click to open a feedback form in a new tab to let us know how this document benefits you.](#)

Recommended Citation

Hill, Robert Stephen, "Duae M. A. Mureti Orationes in Platonis *Rem Publicam* Commentariis Instructae" (2016). *Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures*. 4.
https://uknowledge.uky.edu/mcllc_etds/4

This Master's Thesis is brought to you for free and open access by the Modern and Classical Languages, Literature and Cultures at UKnowledge. It has been accepted for inclusion in Theses and Dissertations--Modern and Classical Languages, Literature and Cultures by an authorized administrator of UKnowledge. For more information, please contact UKnowledge@lsv.uky.edu.

STUDENT AGREEMENT:

I represent that my thesis or dissertation and abstract are my original work. Proper attribution has been given to all outside sources. I understand that I am solely responsible for obtaining any needed copyright permissions. I have obtained needed written permission statement(s) from the owner(s) of each third-party copyrighted matter to be included in my work, allowing electronic distribution (if such use is not permitted by the fair use doctrine) which will be submitted to UKnowledge as Additional File.

I hereby grant to The University of Kentucky and its agents the irrevocable, non-exclusive, and royalty-free license to archive and make accessible my work in whole or in part in all forms of media, now or hereafter known. I agree that the document mentioned above may be made available immediately for worldwide access unless an embargo applies.

I retain all other ownership rights to the copyright of my work. I also retain the right to use in future works (such as articles or books) all or part of my work. I understand that I am free to register the copyright to my work.

REVIEW, APPROVAL AND ACCEPTANCE

The document mentioned above has been reviewed and accepted by the student's advisor, on behalf of the advisory committee, and by the Director of Graduate Studies (DGS), on behalf of the program; we verify that this is the final, approved version of the student's thesis including all changes required by the advisory committee. The undersigned agree to abide by the statements above.

Robert Stephen Hill, Student

Dr. Terence Tunberg, Major Professor

Dr. Milena Minkova, Director of Graduate Studies

DUAE M. A. MURETI ORATIONES
IN PLATONIS *REM PUBLICAM*
COMMENTARIIS INSTRUCTAE

THESIS

A thesis submitted in partial fulfillment of the
requirements for the degree of Master of Arts in the
College of Arts and Sciences
at the University of Kentucky

By

Robert Stephen Hill

Lexington, Kentucky

Director: Dr. Terence Tunberg, Professor of Classics

Lexington, Kentucky

2016

Copyright ©Robert Stephen Hill 2016

THESEOS EPITOME

DUAE M. A. MURETI ORATIONES IN PLATONIS *REM PUBLICAM* COMMENTARIIS INSTRUCTAE

Marcus Antonius Muretus, qui inde ab anno 1526o usque ad 1585m vixit, modo Latine scribendi optimo insignis et apud aequales et apud posteriores, annis 1573o et 1574o duas in Platonis *Rem Publicam* habuit orationes. Quarum contextus in hoc opusculo editur commentariisque instruitur, quo facilius a lectoribus hodiernis sententiae Mureti legantur ac intellegantur. In praefatione quam huic opusculo adiunximus tractantur etiam res nonnullae quae ad Muretum et ad has orationes de Platone habitas pertinent: videlicet Mureti vita, sententiae eius ad artem rhetoricam pertinentes, controversiae Ciceronianae, studia Graeca, philosophia Platonica, denique ratio quam ad hanc editionem perficiendam adhibuimus.

Marc-Antoine Muret (1526-1585), known for his excellent Latin style both in his own time and afterwards, gave two inaugural speeches on Plato's *Republic* in 1573 and 1574. This thesis contains an edition of these speeches together with a commentary aimed at readers comfortable in classical Latin but perhaps new to Muret and to Renaissance studies. In a preface to this edition and commentary, several subjects are discussed that are essential for understanding Muret and the context of these speeches: Muret's life; his views on rhetoric and the imitation of Cicero; Greek studies in the Renaissance; Platonic philosophy; and finally the text of the speeches and other matters specific to this edition.

KEYWORDS: Marc-Antoine Muret, Neo-Latin studies, Renaissance rhetoric, Ciceronianism, Renaissance philosophy

Robert Stephen Hill
April 20, 2016

DVAE M. A. MURETI ORATIONES
IN PLATONIS *REM PUBLICAM*
COMMENTARIIS INSTRUCTAE

By

Robert Stephen Hill

Terence O. Tunberg
Director of Thesis

Milena Minkova
Director of Graduate Studies

April 20, 2016

Non nobis, Domine, non nobis,
sed nomini tuo da gloriam.

DE EIS QUIBUS GRATIAE SCRIPTORI AGENDAE

Gratiae imprimis mihi sunt agendae Terentio Tunberg, cuius benignitatem nunquam satis laudare possim. Non solum Muretum aliquot abhinc mensibus mihi commendavit et consilia, dum in Mureto incumberebam, large liberaliterque mihi semper praebebat, sed etiam menda invenit correxitque permulta, quorum si qua manent, non sunt illi sed mihi tribuenda. Profuerunt etiam consilia Milenae Minkovae et Gueneverae Tunberg, quae nunquam non paratae fuerunt auxilium mihi dare et de rebus quae ad Muretum pertinerent mecum disserere. Colloquia etiam, quibus cum Laura Manning sodali mea fructus sum, mihi non parvo fuerunt beneficio. Denique uxori gratias ago ingentes, quae multis in modis id auxilium mihi semper praebuit, quo amisso opusculum hoc perficere nequaquam potuissem.

INDEX

Praefatio	1
De Mureti vita et operibus	1
De sentiis Mureti quae ad artem rhetoricam pertinent	4
De controversiis Ciceronianis	8
De lingua Graeca	11
De genere philosophiae quod Mureti tempore floruit	16
De ratione ad hanc editionem perficiendam adhibita	19
Caput I: Oratio in Platonis <i>Rem Publicam</i> prima	22
Caput II: Oratio in Platonis <i>Rem Publicam</i> altera	34
Index Mureti orationum	45
Conspectus fontium primariorum	47
Conspectus fontium secundariorum	49
Vita	53

PRAEFATIO

DE MURETI VITA ET OPERIBUS

Marcus Antonius Muretus (Franco-Gallice Marc-Antoine Muret) anno 1526o natus est.¹ De rebus tamen quas adulescens fecerit, etiam de quo tempore, non satis constat, ita ut dubitandum sit num antiquiores qui de Mureti vita scripserint, inter quos maximi momenti est Dejob (1881),² omnia ab eo gesta recte tradiderint.³ Hi enim dicunt Muretum Augustae Auscorum (vulgo *Auch*) docere coepisse, annos modo XVIII natum, ibique scripsisse illam tragoediam cui titulus est *Julius Caesar* (anno videlicet 1544o); postea Pictavi docuisse, tunc Burdigalam profectum (anno 1547o), quo in oppido usque ad annum 1551m mansisse, cum Lutetiam Parisiorum se contulit. Dejob tamen et alique priores fidem tribuerunt verbis a Josepho Scaligero sexaginta fere annis post scriptis.⁴ Quod si non debemus fidem illius verbis tribuere, fieri potest ut ordo Mureti factorum traditus aliquantulo mutandus sit. Talis est sententia a Trinquet (1965) oblata, secundum quam Scaligerus prave aut legit aut meminerat annum quo edita est illa tragoedia supra nominata: fortasse enim anno

¹ Scriptorum tamen qui de hoc die et hoc anno disseruerunt, quamquam non inter se dissentiunt, alii videntur alias Mureti epistularum editiones adhibuisse. Dejob (1881), p. 1, ann. 1, diem Mureti natalem nominat, sed dicit mentionem huius rei factam esse in Mureti epistula primi voluminis XXXVI, in qua – si rationem numerandi in multis Mureti operum editionibus adhibitam sequamur – nihil dicitur quod ad hanc rem pertineat. Ea quae nuperrime edidit Mureti *Juvenilia* (Muretus [2009]), Virginie Leroux, lectoribus ostendit epistulam alterius voluminis 34m quasi testimonium diei Mureti natalis, quae tamen epistula – si illam rationem usitatam sequamur – non exstat. Difficultas tamen facile solvitur, nam in epistula voluminis primi XXXIV Muretus dicit se scripsisse die suo natali. (“Romae. Prid. Idib. Aprilis, die ipso natali meo, quem tu mihi faustum ac felicem praecare. MDLXX”) (Muretus [1834] vol. II, p. 72). Dejob igitur XXXVI scripsit pro XXXIV, Leroux volumen secundum pro volumine primo. Afferamus etiam epistulam (III, 82) cuius neuter mentionem fecit, anno 1584o scriptam, in qua Muretus dicit se quinquaginta et octo annos natum esse. Alius testis nobis praebetur Bencius (1585), qui in oratione Mureti funerali dicit eum anno 1526o mense Aprili natum esse (p. 5).

² Quo opere tamen caute est utendum, cum Dejob non semper inspicere potuerit epistolas et libros quos priores habebant. Vid. Girot (2012), p. 9, ann. 1.

³ Narratio quae sequitur apud Trinquet (1965) invenitur; in Mureto (2009), p. 14, facile ostenduntur discrimina inter eos qui ante Trinquet scripserunt et eos qui novum ordinem a Trinquet inductum sequuntur.

⁴ Scaligerus (1608), pp. 387-390.

MDXLIII usus est pro anno *MDXLVIII*. Quae tragoedia nunc putatur anno 1547o scripta esse. Si Trinquet sequimur, Muretus minus temporis degit Burdigalae, non plus quam duos annos, posteaque Augustam Auscorum profectus est ut ibi doceret.⁵ Priusquam haec Mureti vitae aetas a nobis relinquatur, mentionem faciamus cuiusdam discipuli qui nonnullas Mureti lectiones Burdigalae audivit, nomine Michael Montanus (vulgo Montaigne), et postea dixit Muretum per Galliam et Italiam cognitum tamquam oratorem illius aetatis optimum.⁶

Quaecumque illis annis fecerit Muretus, satis constat eum anno 1551o Lutetiae Parisiorum docere coepisse. Ibi *Iuvenilia* sua edidit et orationes habebat, quarum multae ad Catulli carmina pertinuerunt.⁷ Si licet Bencio de amico defuncto scribenti fidem tribuere, fama Mureti eiusque lectionum tanta erat ut permulti ad eum audiendum venirent:

Novus videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis: ita docente Mureto et quidem adhuc peradolescente, concursus audiendi causa ex tota urbe fiebant, magna hominum frequentia gymnasium celebrabatur, loci ipsi in gymnasio occupabantur, aditus complebantur, ne pes quidem relinquebatur prae maxima auditorum multitudine, ubi pedem doctor ipse ponere posset: ita, per illorum humeros, quasi per undas gradiebatur ad suggestum: e quo etsi magno ab omnibus audiebatur studio ac silentio, nihil magis timentibus, quam ne cito faceret dicendi finem, ubi tamen fecerat finem, mirifico omnium clamore et plausu excipiebantur.⁸

Sed haec gloria non erat diu mansura. Muretus enim dicebatur amores erga discipulos suos habere, cuius rei accusatus est et carcere inclusus; eo usque provectus est ut decerneret potius fame mori quam mortem indignam pati.⁹ Ope tamen amicorum liberatus est Tolosamque fugit, ubi iterum eiusdem rei accusatus Italiam petivit.¹⁰

⁵ Muretus (2006), p. xvi.

⁶ Montanus (1965), p. 253: "Marc-Antoine Muret, que la France et l'Italie reconnaît pour le meilleur orateur du temps."

⁷ De auxilio quod Ronsardus ex his orationibus sumpsit vid. Morrison (1956).

⁸ Bencius (1585), p. 7; locus in Mureto (2009), p. xix, memoratus, etiam in Mureto (1789), tom. IV, pp. 524-525 (ex "Diatriba" a Petro Lazero scripta cui titulus est "De vita et scriptis M. Antonii Mureti").

⁹ Dejob (1881), p. 47; Muretus (2006), p. xx.

¹⁰ Hoc iter faciens, non bene vestitus et mendici similior quam hominis optime eruditi, coepit valde aegrotare eoque ad duos medicos se contulit. Quorum unus, cum vidisset hominem tam male vestitum et fortasse moriturum, Latine dixit: "Faciamus experimentum in anima vili." Respondit Muretus: "Vilem animam appellas pro qua Christus non dedignatus est mori." Haec fabula sive vera sive falsa apud Dejob (1881), p. 60, invenitur.

Qua in regione Venetiis per quoddam temporis spatium habitabat ibique factus est, quamquam alienus, professor litterarum, quo munere inde ab anno 1555o usque ad 1558m functus est.¹¹ Amicum consecutus est Paulum Manutium, filium Aldi typographi,¹² qui incitavit Muretum ita ut inciperet multa opera in lucem edere, inter quae commentarii in Catullum scripti (anno 1554o),¹³ opera Horatii et Terentii (1555o),¹⁴ orationes Ciceronis in *Catilinam* inscriptae (1557o),¹⁵ et liber *Tusculanarum Disputationum* primus (1557o).¹⁶

Videtur anno 1558o Patavii sedem constituisse, ibi mansisse usque ad annum 1559m, tunc Hippolytum Cardinalem Romam secutus esse, quem etiam comitabatur usque ad annum 1563m, denique Romam reversus, professor philosophiae moralis in academia “Sapientiae” ibi sita nominatus, legere coepisse Aristotelis *Ethica Nicomachea*.¹⁷ Per nonnullos annos Romae docebat et munere apud Hippolytum fungebatur, famaue eius crescebat ita ut variis honoribus cumularetur, etiamque titulum *Civis Romani* consequeretur.¹⁸ Sed Muretus non semper homines potentia praeditos tractabat ut eos sibi conciliaret; hominibus ecclesiae praepositis videbatur etiam iuvenes allicere et fortasse efficere ut ex via recta declinarent. Itaque Muretum vetuerunt leges docere, in quas iam aliquot annos incumbere, compulseruntque ad artem rhetoricam, putantes eum ibi versantem minus valere ad ecclesiae doctrinam investigandam.¹⁹ Quod tamen non ita evenit ut speraverant. Nam Muretus statim coepit libros philosophicos et a Cicerone et a Platone scriptos in sessionibus explicare, quamquam in his orationibus magis de arte rhetorica locutus est quam de ipsis notionibus philosophicis quas illi tradiderunt, et hoc non sine causa – dubitandum enim non est quin voluerit scripta philosophica tractare nec videri mandatum cardinalium contemnere. Libri tamen a Mureto selecti cardinalibus non placuerunt; quam ob causam

¹¹ Muretus (2006), p. xxi.

¹² De quo vid. Lowry (1979).

¹³ Muretus (1554)

¹⁴ Muretus (1555a) et (1555b).

¹⁵ Muretus (1557).

¹⁶ Muretus (1557).

¹⁷ Muretus (2009), p. 21.

¹⁸ Muretus (2006), p. xxiii.

¹⁹ Muretus (2006), p. xxiii.

vetuerunt eum philosophiam Graecam docere (anno 1575o).²⁰ Proximo anno sacerdos factus, docere non desistit usque ad annum 1584m, cum tanto per multos annos fessus labore ex papa licentiam poposcit muneris remittendi. Quae cum data sit, non contigit ut otio quod nuper consecutus erat diu frui posset; nam mense Iunii anno 1585o e vita discessit.

DE SENTENTIIS MURETI QUAE AD ARTEM RHETORICAM PERTINENT

Propositum nobis est hoc in capitulo ut sententias Mureti quae ad artem rhetoricam pertinent adumbremus, ponentes quasi ante oculos eas mutationes quae processu temporis rerumque gestarum factae sunt. Nam Muretus alias aliter de arte rhetorica loquitur, ita ut lectori causae harum mutationum sint considerandae, quamvis usque ad fundum non possimus penetrare. Inprimis haec verba sunt consideranda: ‘eloquentia’ et ‘(ars) rhetorica.’ Inspiciamus igitur sententias Mureti quae in oratione “De philosophiae et eloquentiae coniunctione” inscripta reperiuntur, secundum quas eloquentia est “faculta[s] ornate copioseque dicendi” quae a philosophia vix diiungi potest.²¹ Loquitur quasi ad discipulos qui, nihil cupientes nisi eloquentiam quam primum consequi, philosophiam spernent quod ad eloquentiam nullo modo pertineat; nam suadet eis, boni magistri partem agens, ut scriptis philosophorum non parvam dent operam. Non igitur philosophia hac in oratione defenditur sed “eloquentia” (locutione “ars rhetorica” non utitur; plerumque enim de rhetoribus non loquitur nisi fastidiose²²). Quod ad hanc orationem attinet, Muretus videtur neminem putare esse a quo eloquentia parvi habeatur. In clausula, adversus eos qui negent eloquentiam cum philosophia coniungi posse, vehementer affirmat “summam in philosophis veteribus extitisse dicendi vim ac copiam” exemploque utitur Platone, quem,

²⁰ Muretus (2006), p. xxiv.

²¹ 1557, pp. 136-37: “Ego enim . . . semper in ea fui sententia praeclaram illam minime communium contritarumque rerum scientiam, quam philosophi et tenere se et aliis tradere profiterentur, cum facultate ornate copioseque dicendi coniunctam atque copulatam [esse].” Semper cum mentio fit orationis cuiusdam a Mureto scriptae, annus datur, quo habita est, et numerus paginae in qua verba a nobis memorata reperiuntur. Omnes orationes annis numerisque paginarum instructae in indice (p. 51) reperiuntur.

²² 1557, p. 142: “Sed increbuit sermo quidam hominum imperitorum, qui ita dictitant, ut ne inspiciantur quidem Philosophorum libri, satis magnam tamen earum omnium rerum uberemque notitiam ex ipsis Rhetorum scriptis posse desumi.”

inquit, nemo “unquam . . . aut Philosophiae scientia aut dicendi facultate superavit.”²³ Itaque hac vitae aetate (anno 1557o) Muretus magni aestimat et philosophiam et eam artem quam nunc eloquentiam, non rhetoricam, vocat.

Opinio quae ad has artes spectat alia fuisse videtur anno 1573o, cum Platonis *rem publicam* explicare coepit. Nam in his duabus orationibus quae a nobis tractantur aliter de arte bene dicendi, nunc ab eo “rhetorica” vocata, loquitur quam tunc de “eloquentia.” Operae pretium erit sententias eius ordine explicare. In prima oratione, Muretus coniungere vult τὴν πολιτικὴν, ut ita dicamus, cum arte rhetorica. Auctore utens Aristotele asseverat “rhetoricam ex quadam dialectices et politices permistione quasiue consitione . . . existere,” ita ut is qui discere velit artem rhetoricam cogatur ut aliquid necessarii ex utraque sumat.²⁴ Orator ipse tamen debet philosophis studere ut dicendi praeceptis rerumque materia instruat. Exinde in Ciceronianos invehitur,²⁵ quae tamen controversia infra a nobis tractatur. In secunda in Platonis *Rem Publicam* oratione, anno sequente habita, ad rhetoricam revertitur, quae ab eo praecipue laudari videtur: homines enim eloquentia praediti quaecumque voluerint possunt efficere. Secundum tamen sententiam quam Muretus hac in oratione offert, haec potentia non est omnino bona, ita ut ille miretur “non iam pridem omnes dicendi magistros,” quippe qui tam magnam tradant potentiam, “ex omnibus locis . . . eiectos, expulsos, exterminatos fuisse.”²⁶ Laudat quidem Senatum Romanum qui, cum Carneades et Critolaus et Diogenes Romam venissent ad rogandum ut ea multa, quae ex Atheniensibus exacta esset, diminueretur, eos singulis diebus sententias proferentes sentiis pridie oblatis contrarias, ita ut nulla veritas discerni posset, eiecit.²⁷ Tunc demum de Platone incipit loqui, quem velit contra eius vituperatores defendere; dicent enim nonnulli, inquit Muretus, Platonem ita reprehendi debere ut Carneadem Critolaum Diogenem, quippe qui sententias pro iustitia et contra iustitiam offerat. At Muretus negat ita

²³ 1557, p. 146.

²⁴ 1573b in lineis nostris 47-51.

²⁵ Inde a nostra linea 65.

²⁶ 1574b, in nostris lineis 24-27.

²⁷ 1574b, in nostris lineis 116-35.

intellegendum morem disputandi a Platone adhibitum; nam in libris de *Re Publica* inscriptis iustitia non aliter reprehenditur quam ut omnia contra eam argumenta dissipentur ac dissolvantur. Hoc igitur, ut videtur, inter rhetorem et philosophum interest. Licet ambobus argumenta proferre pro aliqua re et contra; hic tamen argumenta falsa profert ut convincantur, ille tamen argumenta utilia ut ipse quod voluerit efficiat.

Haec a Mureto annis 1573-74 dicta sunt. Uno anno post, quod supra diximus, Muretus semotus est a philosophia Graeca docenda. Susplicari licet, non tamen pro certo habere, hoc factum esse ob modum acerbum quo in his de Platone orationibus Muretus artem rhetoricam tractasset, cui disciplinae, ut ipsius verbis utamur, “praefectus ac praepositus” erat.²⁸ Quaecumque fuerat causa, Muretus coactus est ut ad rhetoricam reverteretur. Non igitur mirandum est eum anno 1576o ad libros Aristotelis de arte rhetorica explicandos progressum neque eam artem tam mordaciter vituperasse. Operae pretium est priores sententias Mureti cum novis comparare. Nam in secunda de Platone oratione dixerat rhetoras efficere posse ut homines quamcumque sententiam probarent, idque rei publicae non prodesse. Nunc tamen alio modo de eadem arte loquitur:

Quid enim aut gloriosius aut utilius aut denique optabilius, quam regnare quodammodo ac dominari in aliorum animis, flectere eos linguae gubernaculo quo velis, et quid probent, quid reiiciant, quasi pro imperio ac popestate praescribere?²⁹

Non negat Platonem artem rhetoricam “artis nomine indignam esse” dixisse “eamque usu tantum quodam et exercitatione rationis experti contineri” – quae sententia non omnino dissimilis est sententiae a Mureto ipso prius oblatae – sed Aristotelem sequens, et fortasse nolens iterum Cardinales ira commoveri, nunc dicit hanc Platonis opinionem Aristotelem amoliturum esse ob ipsam librorum *De arte rhetorica* inscriptionem.³⁰ In secunda de

²⁸ 1573b, in nostra linea 16.

²⁹ 1576b, p. 343.

³⁰ “Plato enim, ut suo loco videbimus, Rhetoricam artis nomine indignam esse dixerat, eamque usu tantum quodam et exercitatione rationis experti contineri, et ut ipsius verba ponamus, τριβὴν μόνον τινά καὶ ἐμπειρίαν ἄλογον εἶναι tradiderat. Quam opinionem ut statim a principio amoliretur Aristoteles, ne qui forte Platonis auctoritate commoti nullam esse artem dicendi putarent, in ipso librorum suorum vestibulo artis nomen adscripsit” (1576b, p. 343).

his Aristotelis libris oratione, quae post tempus aestivum eodem anno habita est, Muretus iterum Aristotelem Platoni praeponere videtur. Eius verba inspiciamus:

Erant enim qui dicerent, Rhetoricen non modo utilem non esse, sed etiam perniciosam ac pestiferam: ut eam qui docerent, nedum praemio afficiendi, sed e civitatibus eiiciendi atque exterminandi viderentur. Hanc infamiam arti suae conflaverant Sophistae, cum profiterentur, arrogantibus sane verbis et invidiae plenis, docere se quomodo caussa inferior dicendo superior fieri posset. Sed Aristoteles et multis argumentis eam utilissimam esse hominum generi docuit, et quae mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipsi adscribenda esse, sed eorum improbitati, qui re per se bona et salutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur.³¹

Quamquam uno ante anno Muretus ipse inter eos rhetoricae vituperatores visus est, qui putarent magistros dicendi e civitatibus eiciendos esse, nunc cautissime novum servat discrimen inter “artem ipsam” et “improbitatem” eorum qui eam exercent. Aristoteles, mirum dictu, si verba Mureti paulo antea dicta consideraverimus, Platoni videtur praepositus.

Sunt aliae Mureti sententiae in eadem oratione repertae quae contemplatione dignae nobis videntur. Aperte enim definit artem rhetoricam: “non est ars persuadendi, sed ars videndi atque excogitandi omnia quae in quaque re valent ad faciendam fidem.”³² Ad hunc finem, inquit Muretus, eos qui artem rhetoricam discere velint debent efficere “ut bene de nobis opinetur auditor; ut ita commoveatur ipsius animus quomodo expedit ad id quod volumus obtinendum; et ut nos id quod persuadere volumus aut demonstramus aut demonstrare videamur.”³³ Quamquam legimus “ut . . . demonstramus *aut demonstrare videamur*,” non est igitur Muretus putandus nullam veritatis curam habuisse, nisi affirmemus eum omnes sententias suas annis prioribus oblatas respuisse. Videtur his in orationibus laudare velle artem rhetoricam, quam debet docere ne iram Cardinalium iterum commoveat, simul tamen quoddammodo artem bene dicendi cum veritate coniungere. Quod plus valere videtur si adducimus verba quae dixit Muretus paucis ante annis in illa ora-

³¹ 1576c, p. 347.

³² 1576c, p. 348.

³³ 1576c, p. 349.

tionem quae “De via et ratione ad eloquentiae laudem perveniendi” inscribitur.³⁴ Nam paene eadem hac in oratione dixerat de Aristotele, de Sophistis, de modis quibus orator possit efficere quod voluerit, quae dicturus erat anno 1576o, postquam Cardinales eum a philosophia docenda arcuerunt. Perdifficile est credere Muretum priores sententias reliquisse et novas eligisse, cum eadem sententiae in his duabus orationibus reperiantur, quamquam in priore oratione (1572), dilucidius affirmat philosophiam necessariam esse ei qui ad eloquentiam pervenire cupiat. Licet quidem suspicari Muretum etiam anno 1576o voluisse indicare eis qui diligentius cogitent se easdem atque antea sententias tenere; si quis orationem anno 1572o habitam audierat, procul dubio potuit sententias tunc prolatas recordari audiens Muretum quattuor annis post de eisdem rebus loquentem.

DE CONTROVERSIIS CICERONIANIS

De modo scribendi Latine optima varia sententiae – quarum est ingens librorum copia³⁵ – exstant tempore Mureti et antea. Petrarca, qui inter primos erat qui post medium illud aevum de imitando cogitare coeperant, non unum scribendi exemplum consulto secutus est; nullum est dubium quin Ciceronem admodum coluerit, sed alios, inter quos erant Quintilianus, Boethius, alii, non neglexit. Iam medio saeculo 15o erant duae, ut ita dicamus, factiones: una ex eis constituta qui dicerent Ciceronem unum ex omnibus fere scriptoribus imitandum, altera ex eis qui affirmarent multos esse ex antiquis imitatione studioque dignos.

Quod patet ex epistulis inter Angelum Politianum et Paulum Cortesium missis. Cortesius enim ad Politianum nonnullas collegerat epistulas quas more Ciceroniano putabat bene compositas. Politianus tamen has epistulas sprexit, non sine ludibrio in Ciceronianos intento, et hoc consilium Cortesio obtulit:

³⁴ 1572b.

³⁵ Fantazzi (2014) multas res in summarium utile redegit. Inter alios fontes secundarios vid. e.g. Sabbadini (1885), Gmelin (1932), D’Amico (1984), Fumaroli (1994), Tunberg (1997), Monfasani (1999).

. . . cum Ciceronem, cum bonos alios multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris et rerum multarum cognitione pectus impleveris, ac iam componere aliquid ipse parabis, tum demum velim (quod dicitur) sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio, sollicitudinemque illam morosam nimis et anxiam deponas effingendi tantummodo Ciceronem tuasque denique vires universas percliteris.³⁶

Ad quam vituperationem respondit Cortesius in epistula multo longiore se non Ciceronem unum omnium scriptorum probare, sed vidisse eum “unum omnium saeculorum consensu principem esse iudicatum” velleque eius similem esse non sicut simiam hominis, sed sicut filium patris.³⁷ Oportet praetermittamus alios huius controversiae participes ut ad Erasmus perveniamus, qui praeclarum dialogum scripsit, anno 1528 editum, cui titulus est “Ciceronianus.”³⁸ Ille contra eos invehitur qui unum Ciceronem imitari voluerunt, tanta usus acerbitate ut multi ex doctorum numero alios praeter Ciceronem imitandos censerent vel censere inciperent. Manebant tamen usque ad Mureti aetatem nonnulli, quamquam pauciores, qui sedulo Ciceronem laudibus accumulabant impediabantque, quantum poterant, quin alia Latine scribendi exempla probarentur.

Ad quales homines reprehendendos Muretus nec vi nec acerbitati parcit. Imprimis dicendum est Muretum omnino assensum esse Petrarcae et Politiano et aliis qui inter varietatis, quae ad modum scribendi pertinet, fautores numerandi sint. Quid censuerit Muretus de controversiis Ciceronianis patet multis ex locis ab eo scriptis. In libro Mureti *Variarum Lectionum* XV discimus eum ipsum olim putasse modo Ciceronem eiusque aequales imitandos esse, cuius tamen erroris eum paenituit:

Sed postea re tota mecum accuratius considerata visus ipsi mihi sum nimio plus mihi sumere, qui de Seneca, Livio, Valerio, Celso, Quinctiliano, Colu-

³⁶ Contextum ex Dellaneva (2007) sumpsimus (p. 4).

³⁷ “Non quod ignorarem multos dicendi gloria praestitisse qui et acere industriam et multis oratoriis virtutibus alere ingenia possent, sed et quia videbam hunc unum omnium saeculorum consensu principem esse iudicatum, et quia a puero didiceram in omni numero semper optimum esse eligendum. . . . Similem volo, mi Politiane, non ut simiam hominis, sed ut filium parentis. Illa enim ridicula imitatrix tantum deformitates et vitia corporis depravata similitudine effingit. Hic autem vultum, incessum, statum, motum, formam, vocem denique et figuram corporis representat, et tamen habet in hac similitudine aliquid suum, aliquid naturale, aliquid diversum, ita ut cum comparentur dissimiles inter se esse videantur” (ex Dellaneva [2007], p. 8).

³⁸ Erasmus (1971).

mella, utroque Plinio, Tacito, Suetonio, Velleio, Q. Curtio, Lactantio aliisque eiusmodi scriptoribus, quos et ab iis ipsis temporibus, quibus Latina lingua floruisse diceretur, propius afuisse et suo quemque saeculo disertissimos habitos esse constaret, temere pronuntiare auderem.³⁹

Homines antiquos, qui illos scriptores modo nominatos imitatione dignos putabant, Muretus dicit meliores bonae Latinitatis “existimatores” quam homines temporis sui.⁴⁰ Inducit et aliam causam cur Cicero non unus probatus sit, quae pertinet ad ingentem scriptorum antiquorum copiam quae non iam exstat. Non possumus igitur pro certo habere quasdam locutiones rarissimas esse quod rarissime reperiuntur in scriptis quae forte ad nos pervenerunt.⁴¹

Inter quos tandem est Muretus numerandus? Sunt qui putent eum cum Ciceronianis coniungendum, quamquam moderatione suas de imitatione sententias temperans; sunt tamen qui eum aetate proveciorem dicant sprevisse eos qui modum dicendi a Cicerone adhibitum extollerent.⁴² Quae controversia enodari potest non aliter quam sententiis ipsius Mureti et verbis quibus illae exprimuntur. Inprimis oportet dicamus Muretum notiones verbis ornatas maioris momenti habuisse quam verba ipsa:

Equidem, si alterutrum deserendum sit, multo malim sine orationis nitore

³⁹ F. vol. III, pp. 328.

⁴⁰ “Certe enim neque quisquam unquam veterum eos male Latine locutos esse dixit: neque nos, tam longo intervallo, valde boni eius rei existimatores sumus” (*Variarum Lectionum* liber XV, cap. I; F. vol. III, p. 329).

⁴¹ “. . . tot philosophorum, tot oratorum veterum, tot poetarum, tot historicorum, tot iurisconsultorum scripta perierunt, et ex illis fractis ac laceris quae ad nos pervenerunt Romani sermonis reliquiis adfirmare audemus, si quid in eis non reperiatur, id apud veteres in usu non fuisse? Quanto credibilis est nova multa atque inusitata nobis videri quae si eorum libri exstarent, in frequentissimo usu posita fuisse constaret?” (*Variarum Lectionum* liber XV, cap. I; F. vol. III, p. 329). Erasmus iam tali modo in Ciceronianos invectus erat; nullum est dubium quin eius argumenta bene nota fuerint Mureto, qui aliis verbis easdem vituperationes in Ciceronianos iacet. Vid. Erasmi *Ciceronianum* (1971): “Sed interim illud mihi cogites velim optime Nosopone, quanta pars Ciceronianorum voluminum interciderit, et in his divinum illud opus *De republica* cuius fragmentum nescio quo fato servatum, nihil aliud quam desiderio reliquorum voluminum scrutiat animos nostros, quae cuiusmodi fuerint, hinc licet aestimare, leonem, ut aiunt, ex unguibus. Ne quid interim commemorem de tot epistolarum libris, de tot orationibus iniuria temporum interceptis, de tribus voluminibus, quibus Tyro libertus iocos et scite dicta Ciceronis complexus esse legitur, deque caeterorum huius viri scriptorum naufragio. Qui potes igitur absolutus esse Ciceronianus, qui tam multa illius non legeris?” (p. 620).

⁴² Vid. opusculum a T. Tunberg conscriptum et nondum editum quod “De Erasmo eloquentiae praeceptore” inscribitur: “Critici quid Muretus de auctoribus antiquis imitandis senserit non eodem modo, sed alius aliter intellegere videntur.” Inter hos criticos sunt Ruhnkenius, Fumaroli, IJsewijn – qui Muretum Ciceronianum haberi velint – et Mauricius Croll (1924), Ioannes Monfasani, Carolus Fantazzi, qui aliter sentiunt.

cognitionem rerum quam sine rerum intelligentia volubilitatem linguae; neque unquam ita amens sim, ut non aut divini hominis Thomae Aquinatis aut Alberti Magni indisertam sapientiam ineruditae multorum loquacitati infinitis partibus anteponam.⁴³

Quae sententia nullo modo differt ab ea quam anno priore, in oratione “De philosophiae et eloquentiae coniunctione” inscripta, protulerat:

Ego enim . . . semper in ea fui sententia praeclaram illam minime communium contritarumque rerum scientiam, quam philosophi et tenere se et aliis tradere profiterentur, cum facultate ornate copioseque dicendi coniunctam atque copulatam [esse] . . . Igitur et ab ipso aetatis meae principio ita studiorum meorum rationem comparavi, ut exornandae orationis curam cum rerum investigatione coniungerem.⁴⁴

Muretus itaque et cogitationes vel notiones et modum dicendi coluit et magni momenti existimavit; putavit igitur sibi licere Ciceroni studere, quo melius Latine scriberet, sed non ita ut laberetur in stultitiis nugisque eorum qui Ciceronem laudarent, alios tamen respuerent. Est enim nimium Ciceronis studium quod a Mureto reprehenditur, non studium Ciceronis ipsum.

DE LINGUA GRAECA

Medio aevo, quod dicitur, pauci erant litterarum Graecarum periti. Apud Carolum Magnum nonnulli floruerunt, in Hibernia erant quidam scientia Graecae celebres, sed rarissime inveniebantur qui possent lingua Graeca bene intellegere, nedum scribere.⁴⁵ Inde tamen a saeculo 14o, praesertim cum Byzantini, Constantinopoli capta, ad regiones occidentales venirent, res paulatim mutabantur ita ut tempore Mureti permulti essent qui litteras Graecas maximi aestimarent.⁴⁶ Nonnumquam autem Muretus invehitur in eos qui spernunt, aut in eos quos dicit spernere, studia Graeca. Causae igitur cur ille tales reprehensiones iactaverit, cum omnes fere illo tempore studia Graeca magnopere colenda

⁴³ Epistula XVIII ad “purioris ac politioris philosophiae studios[os]”; F. vol. II, p. 412.

⁴⁴ 1557, pp. 136-137.

⁴⁵ De his rebus vid. Berschin (1988), Bischoff (1951), Dionisotti (1988), Herren (2015), Moran (2012), Russell (2012).

⁴⁶ De his mutationibus vid. inter alios Lamers (2016) et Cicolella (2008).

affirmaverint, quaerendae sunt.⁴⁷ Inprimis oportet locos exponere qui ad hoc argumentum pertinent. Haec a Mureto dicta reperiuntur in oratione quae a nobis prima tractatur:

Sed scio fore nonnullos, qui meum consilium vituperent, quod me in Latinis tantum scriptoribus versari, a Graecis prorsus abstinere cuperent. . . . Primum igitur istis Graecae linguae osoribus ita responsum volo, omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui studio, uno verbo, quicquid usquam est politiorum disciplinarum, nullis aliis quam Graecorum libris ac literis contineri.⁴⁸

Quales homines “propter obstinatum quoddam et inveteratum in Graecos odium” Muretus dicit aut nolle aut nequire intellegere, si lingua Graeca neglecta fuerit, “omnibus bonis artibus certissimam pestem ac perniciem imminere.”⁴⁹

Quos, oportet rogemus, Muretus insectatur? Si eius tempore exstabant veri linguae Graecae “osores,” non erant multi. Potest fieri ut Muretus ex consuetudine studia Graeca defenderit vel quo melius eloquentiam suam auditoribus ostenderit. Sed Muretus ipse aliquid auxilii nobis praebet in oratione “De via et ratione ad eloquentiae laudem perveniendi” inscripta.⁵⁰ Ciceroniani enim ibi inducuntur scriptores Graecos spernentes quasi indignos studio eorum qui Ciceronem solum sequantur et nullum nisi illius modum dicendi imitentur. “Istos [Graecos] legissem,” dicit Ciceronianus a Mureto fictus, “si Graece eloquens esse voluissem. Latinae quidem eloquentiae laudem affectanti satis esse unus Cicero visus est.” Eloquentiam horum Ciceronianorum, qui discant “de conformandis orationis partibus et huiusmodi naenias . . . vuculas ex Cicerone collectas coniungere et ex eis quasi tessellis ieiunam ac famelicam orationem contexere,” Muretus dicit “picarum et psittacorum” esse; id est, “auditas voces iterare ac reddere neque quidquam unquam di-

⁴⁷ Cf. ea quae scripsit Aldus Manutius anno 1495o in praefatione quam ad editionem Aristotelis *Organici* adiunxit: “Necessariam esse Graecarum litterarum cognitionem hominibus nostris ita iam omnes existimant, ut non modo adolescentuli, quorum iam maximus numerus, verum et senes aetate nostra Graece condiscant” (Manutius [2016], p. 13).

⁴⁸ 1573b, pp. 321-22.

⁴⁹ 1573b, p. 322. Cf. ea quae a Mureto in alia oratione dicta sunt: “Graeca, inquam, lingua omnis elegantiae magistra omnium ingenuarum ac liberalium artium parens alitrix conservatrix ita iam iacet ac sordet ut qui eam docent soli prope in scholis relinquuntur” (1577a, p. 356).

⁵⁰ 1572b.

cere quod sit vere ac proprie tuum.”⁵¹ Quamquam haec magis ad controversias Ciceronianas pertinent (de quibus vid. infra), licet ex eis intellegere odium erga Graecos et litteras Graecas exstitisse quodam tempore apud Ciceronianos – non tamen manifestum est an hoc odium tempore Mureti etiam valuerit.

Quo melius intellegamus cur Muretus ita dixerit, ordine inspiciendi sunt varii loci inde a Petrarcae tempore usque ad ipsius Mureti aetatem scripti. Non enim consentiebant omnes humanistae linguam Graecam et res Graecas colendas esse. Petrarca ille, qui non prorsus eorum linguam didicit, mores Graecos repudiavit:

In fondo per lui la Grecia antica non è in ultima analisi che una nazione vanitosa e millantatrice, i cui famosi sette savi sono certamente discutibili ed i cui dei non sono che demoni. I greci antichi come popolo egli li considera leggeri, privi insomma di quella solidezza che spetta invece agli antichi romani.”⁵²

Linguam tamen amavit et Graece nonnullos scriptores legere voluit, inter quos Homerum et Platonem.⁵³

Tempore paene eodem ac Petrarcae erant qui res Graecas odio haberent. Ioannes qui Italice vocatur Conversini da Ravenna spernebat omnes qui eum Graece alloqui ausi essent.⁵⁴ Aliis similes erant sententiae. Laurentius de Monaci, ineunte saeculo 15o, studia Graeca vituperavit.⁵⁵ Quae reprehensio incitavit nonnullos doctos ut sententias suas contra Laurentium proferrent, inter quos erat Franciscus Barbero Laurentii amicus, qui epistulam scripsit in qua asseveravit linguam Graecam studiis Latinis necessariam esse, maiorem copiam habere vocabulorum, “doctrina ac humanitate primas sibi partes” comparasse.⁵⁶ Alius Laurentii amicus, Leonardus ille Bruni, non eo usque provectus est ut studia

⁵¹ 1572b, p. 262.

⁵² Weiss (1977 [1952-53]), pp. 170-71, 177: “Risultato di tutto ciò che il Petrarca non conquistò mai la lingua greca.”

⁵³ Weiss (1977 [1952-53]), p. 189.

⁵⁴ Ipsissima verba: “Athice autem si peroraveris, barbarus michi eris.” Ut contextum inspicias, vid. Sabbadinum (1924), pp. 103, 221.

⁵⁵ Vid. Geanakoplos (1962): “A secretary to the Venetian senate, Lorenzo de Monaci, who was a friend to the Florentine humanist Leonardo Bruni and also to Francesco Barbaro, expressed a profound hostility to everything Greek and in fact declared that the study of Greek and translations from that language were useless” (p. 33).

⁵⁶ Gravelle (1982), pp. 271-73.

Graeca repudiaret; dixit tamen se non posse videre “qua in re Latinae litterae a Graecis [superarentur]” et laudavit Ciceronem qui, ut opinatus est, ostendit “Latinam linguam pleniorum esse quam Graecam.”⁵⁷ Aliud talium sententiarum exemplar nobis praebet Laurentius Valla, in cuius praefatione prima librorum *Elegantiarum Linguae Latinae* fastidium linguae Graecae patefacit, dicens eam quasi divisam enervatamque in quinque partes separatam – scilicet in dialectos – sed linguam Latinam unam esse ideoque efficaciorum.⁵⁸ Sed fortasse hae contra Graecam linguam sententiae non facile separantur a sententiis Vallae contra philosophiam quam putat ex Graecis deductam, metaphysicam scilicet et alios investigandi modos Scholasticorum proprios.⁵⁹

Potest fieri ut fuerint etiam qui ineunte saeculo decimo quinto res Graecas odio haberent; etiam anno 1463o Demetrius Chalcondyles, nuperrime professor litterarum Graecarum factus in academia Patavi sita, in prima oratione sua nonnullas causas obtulit cur omnibus litteras colentibus operae pretium esset linguae Graecae studere.⁶⁰ Paulo post Petrus ille Bembus⁶¹ totam orationem, mirum dictu, Graece conscripsit⁶² in qua hortatus est ut Veneti, qui professorem linguae Graecae non haberent, magno nixu litteras Graecas colerent. Bembus inducit eos qui dicant τὶ δεῖ ἡμῖν τῶν Ἑλληνικῶν γραμμάτων; ἄλλῃ μὲν ἄλλῃ ἤδη ἔχει ἡμῖν, εἴπερ τὰ Λατινικὰ διασώζομεν. Ad quod Bembus respondit res Graecae iam diutissime neglectas mox perituras, nisi quis auxilium eis ferret, lingua tamen Latina

⁵⁷ Hos locos animadvertit Gravelle (1982), p. 273, ann. 18, p. 274, ann. 19.

⁵⁸ “Plus nostra [lingua], et quidem inops, ut ipsi volunt, quam illorum quinque, si eis credimus, locupletissimae; et multarum gentium, velut una lex, una est lingua Romana: unius Graeciae, quod pudendum est, non una sed multae sunt, tanquam in republica factiones.”

⁵⁹ Cf. Gravelle (1982), p. 287: “Valla perhaps intends not to discredit Greek but abstract metaphysics.”

⁶⁰ De Demetrio vid. Geanakoplos (1974), qui dicit: “It should not surprise us that the Byzantine Chalcondyles begins with a long justification for study of the Greek language. Such an apologia was common in humanist speeches of the period, or might conceivably even suggest that Greek studies were still considered by some not really indispensable to the university curriculum” (p. 130). De eis qui saeculo decimo quinto ineunte linguam Graecam odio habebant, vid. pp. 130-131 eiusdem libelli.

⁶¹ Qui notus erat Mureto, qui de eo scripsit: “Graeca cuius discendae causa vir sempiterna laude dignissimus Petrus Bembus, cum adhuc adolescens esset, in Siciliam profectus est, quod ibi meliores illius magistros esse audierat: cum multi illis temporibus eadem de causa usque in Graeciam proficiscerentur” (in oratione quam habuit in libros Aristotelis de re publica, anno 1577o).

⁶² Cuius orationis titulus est περὶ τοῦ βοηθεῖν τοῖς τῶν Ἑλλήνων λόγων et contextus in libro anno 2003o edito reperitur.

sola non posse hominem optime erudiri.⁶³ Saeculo sexto decimo manebant apud Franciscanos variae sententiae de litterarum Graecarum utilitate. Ex Budaei epistulis discimus Rabelaeso eiusque familiari Petro Amico (vulgo Pierre Lamy) libros Graecos iussu superiorum Franciscanorum, qui novis studiis resistebant, ablatos esse; quod cum comperisset Budaeus, ad eos misit epistulam anno aut 1523o aut 1524o in qua dixit eos διὰ τὴν ἄγαν περὶ τὰ ἑλληνικὰ σπουδὴν πολλὰ καὶ δεινὰ κακοπαθεῖν.⁶⁴ Quae inimicitia erga litteras Graecas videtur exstare tempore Mureti, quo monachi rebus Graecis studebant contra superiorum voluntatem.⁶⁵ Eodem fere tempore Italus quidam, nomine Franciscus Floridus Sabinus, qui scripsit “Apologiam adversus linguae Latinae calumniatores,” hortatus est ut Romani (scilicet Itali) ostenderent litteras Romanas meliores esse Graecis. Litterae Graecae ex altera parte a Graecis, Francis, aliis defendebantur.⁶⁶ Quae cum ita sint, nihil obstat quin verbis Mureti fidem tribuamus, cum exstare asseverat quosdam “osores” linguae Graecae vel vituperatores.⁶⁷ Etiam post Mureti mortem studia Graeca non ubique omnique modo florebant: locus enim linguae Graecae docendae, qui institutus erat Venetiis, deletus est.⁶⁸

⁶³ Εἰ δὲ τις ὑμῶν, ὃ ἄνδρες Ἑνετοί, τούτοις πιστεύει καὶ πεπεισμένος ἐστὶ τὰ τοιαῦτα ὀρθῶς λέγεσθαι, βούλεται δὲ συνηγορεῖν, ἀπολογοῦμαι πρῶτον αὐτῷ ὅτι οὐχ ἱκανὰ τοῖς σπουδαίοις τε καὶ φιλομαθέσιν εἰσι τὰ ἡμέτερα, οὐ μὰ τὸν Δία· ἀλλὰ δεῖ [sic] τοῖσδε ὅλως καὶ τὰ τῶν ἑλλήνων προσεπιτηδεύειν. . . . Ἐν γὰρ τούτῳ καθέστηκε νυνὶ τὰ Ἑλληνικά, ὥστε ὀλίγον μὲν δὴ χρόνον μάλα γ’ ἱκανὸν ἔσεσθαι ἐξαμαυρῶσαι ἅπαντα τ’ αὐτῶν ὑπολελειμμένα τοῖς ἀνθρώποις εἴπερ ἐπιβραχὺ ἔτι ἡ αὐτῶν ἐπιμέλεια ὀλιγορηθήσεται (Bembus [2003], p. 32).

⁶⁴ Hanc epistulam, quae apud Budaeo (1557), p. 433a, reperitur, animadvertit McNeil (1975), p. 84.

⁶⁵ Vid. Armstrong (1997): “Many of the Paris friars mentioned in this thesis were studying Greek when it was enjoying unprecedented vitality. They were doing so, however, without the sanction of their order as we can see from the same minutes entry from 1568. The council forbade friars from going to these language lectures, perhaps because these were held at secular colleges” (p. 155).

⁶⁶ Vid. Sabbadini (1886): “E veramente ben presto gli humanisti si divisero in due campi; gli uni parteggiavano per i Greci, gli altri per i Romani; gli umanisti italiani erano dalla parte dei Romani; per i Greci stavano i nuovi Greci e gli stranieri” (p. 353).

⁶⁷ Adde quod aliquot homines erant non satis linguae Graecae periti: Muretus ipse proposuit Herculi Ciofano, qui notus erat ob *Observationes suas In P. Ovidii Metamorphosin ex XVII antiquis libris* (1575), ut “Graeci sermonis saltem prima elementa” disceret (Epist. I. 89; locum animadvertit Dejob [1881], p. 263).

⁶⁸ Vid. Dejob (1881), qui ipsissima decreti verba refert: “Riconoscendosi il poco frutto, che apportarebbe lo rinovarìa (la lettura di greco) per la rarità de quelli che s’applicassero ad udirla, come anche la difficoltà nell’incontrare persona perita per ben esercitarla” (p. 481).

DE GENERE PHILOSOPHIAE QUOD MURETI TEMPORE FLORUIT

Generatim et universe philosophia tempore Mureti et paulo antea exculta est nobis tractanda, priusquam ad ipsum Muretum progrediamur. Homini non caute inspicienti forsitan videantur duo genera philosophiae illo tempore exstitisse, videlicet unum genus ab humanistis excultum, alterum, non diu mansurum, ab illis qui Aristotelem secuti sint. Ut tamen intellegamus cur res non ita se habuerint, breviter in mentem revocemus quomodo ab hominibus occidentalibus inde ab Augustini tempore philosophia Platonica sit culta. Nam illi, etiamsi minorem haberent linguae Graecae peritiam, libros Platoniorum legere poterant ex quibus sumebant notiones Platonicas, quae nonnumquam similes doctrinae Christianae videbantur.⁶⁹ Per maiorem medii aevi partem legebatur non alius fere dialogus Platonis quam *Timaeus*, in quem Calcidius (1962) commentarios scripserat multis hominibus bene notos.⁷⁰ Sed exstabant alii libri qui, quamvis a Platone ipso non conscripti, aditum praebebant ad notiones apud Platonem usitatas. Tales inter libros numeranda sunt opera ipsius Augustini, sed etiam Ciceronis et aliorum, ne quid dicamus de Dionysio illo, qui dicitur, Areopagitico. Hic Dionysius re vera saeculo quinto exeunte vel sexto ineunte floruit operaque Platonica scripsit nonnulla; ob nomen putabatur idem esse atque Dionysius ille cuius in Sacra Scriptura mentio fit.⁷¹ Haec opinio a multis tenebatur usque ad saeculum decimum quintum, cum Laurentius Valla ostendere conaretur Dionysium illum in Sacra Scriptura repertum non esse eum qui opera Platonica scripsisset. Ita evulsa est vetus opinio. Quicumque fuerit scriptor, eius opera notionibus Platonice freta per medium illud aevum a multis legebantur, inter quos Iohannes Scottus Eriugena et Thomas Aquinas. Itaque notiones Platonicae, si non multa ipsius Platonis scripta, notae erant hominibus medio aevo florentibus.⁷²

⁶⁹ Quod quidem Augustinus ipse fecit, ut legimus in eius *Confessionium*: “procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum quosdam platoniorum libros ex graeca lingua in latinam versos, et ibi legi, non quidem his verbis sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum” (VII, 9, 13; Augustinus [1992], p. 80)

⁷⁰ Hankins (1990), p. 34.

⁷¹ Acta Apostolorum 17, 34.

⁷² De his rebus vid. Copenhaver & Schmitt (1992), pp. 127-142.

Nolumus tamen dicere videri philosophiam Aristotelicam vel scholasticam non magni momenti fuisse. Immo contra; est bene notum omnibus harum rerum studiosis Aristotelem quasi principem philosophorum habitum esse ab hominibus qui medio illo aevo rebus philosophicis operam dederunt, nominatumque ab eis “philosophum,” cui aliis nominibus non opus erat. Hi Aristotelis fautores multa excogitaverunt, multa docuerunt, multa scripserunt, ita ut eorum non exigua fama usque ad nos sit merito tradita. Humanistis tamen – ut ad horum aetatem revertamur – Latinitas ab eis excolta, vel potius ficta et formata, non placuit. At non idcirco putandum est humanistas omnes Aristotelem una cum Scholasticorum Latinitate respuisse, cum nonnulli humanistae eum summopere coluerint. Quod ad Italiam attinet, animadvertimus philosophiam scholasticam, quae dicitur, novaque studia classica exeunte saeculo 13o orta esse.⁷³ Erant tamen difficultates. Opera Platonica nuper inventa, cum antea non multum aliud exstabat quam dialogus *Timaeus* inscriptus, effecerunt ut humanistae plenius sententias Platonis intellegerent. Quae opera cum legerent, magis perspicue videbant se aliquo modo impediri quominus efficerent ut sententiae amborum philosophorum inter se consentirent.⁷⁴ Aristotelis fautores, qui iam in academiis diu versabantur eligebantque alios magistros sui similes, nolebant homines qui philosophiae Platonicae favebant munus docendi accipere; quamobrem fautores Platonis magna ex parte extra academias docebant studebantque.⁷⁵

Sed hae rixae magna ex parte ante Mureti tempus placatae sunt, quamvis Muretus ipse ob nimium philosophiae Platonicae studium potuit etiam anno 1575o iram Cardinalium erga se excitare – quod supra vidimus. Lector qui etiam pauca Mureti scripta legerit animadvertet eum numquam philosophiam non magni aestimasse, quae quidem est ab eo considerata tamquam aliarum artium, etiam eloquentiae, fundamentum. Quod manifesto patet nonnullis in locis, praesertim in hoc:

⁷³ Kristeller (1956), p. 576, qui in eodem opusculo dicit: “I think there has been a tendency, in the light of later developments, and under the influence of a modern aversion to scholasticism, to exaggerate the opposition of the humanists to scholasticism” (p. 561).

⁷⁴ Celenza (2007), p. 77.

⁷⁵ Celenza (2007), p. 79.

Equidem, si alterutrum deserendum sit, multo malim sine orationis nitore cognitionem rerum quam sine rerum intelligentia volubilitatem linguae; neque unquam ita amens sim, ut non aut divini hominis Thomae Aquinatis aut Alberti Magni indisertam sapientiam ineruditae multorum loquacitati infinitis partibus anteponam.⁷⁶

Muretus igitur, non ignavus optima Latinitatis cultor, cuiuslibet scriptoris modo dicendi praeposuit eius sententias et notiones; philosophiam diligenter asseverat necessariam esse oratori, nam si putatur “omnem orationem ex rebus constare et ex verbis,” confitendum est “rerum . . . copiam et ubertatem non aliunde quam a philosophis peti posse.”⁷⁷ A philosophis quoque instituta descriptaque erant illa bene dicendi praecepta quae tanto usui sunt eis qui artem oratoriam discere velint.⁷⁸

Philosophis antiquis Muretus operam dedit non parvam. Inter orationes reperiuntur non pauciores quam duodecim in quibus philosophi aut Graeci aut Romani tractantur,⁷⁹ ne quidquam dicamus de eius commentariis in Aristotelem et alios scriptis. In oratione “De moralis philosophiae laudibus” inscripta, quamvis titulus genus philosophiae morale indicet, Muretus saepius philosophiam et philosophos tractat generatim et universe, ut ostendat se non ita philosophiam definire ut homines excludantur qui non “occupati” sint “aut in disserendi subtilitate aut in pervestigandis rerum naturalium causis”;⁸⁰ immo vero inter philosophos putat eos omnes numerandos qui virtutem consequantur, etiamsi philosophi ab aliis non vocentur.⁸¹ “Vita illi,” inquit, “non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus philosophabantur, quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi

⁷⁶ Epistula XVIII ad “purioris ac politoris philosophiae studios[os]”; F. vol. II, p. 412.

⁷⁷ 1557, p. 139.

⁷⁸ 1557, p. 141.

⁷⁹ 1557, 1563, 1564, 1565a, 1565b, 1573b, 1574b, 1574c, 1575a, 1576b, 1576c, 1577a.

⁸⁰ Iam similem sententiam circa annum 1401m exhibuerat Collucius Salutatus, qui magister erat Leonardi Bruni; scripserat enim Socratem, “fervente iam tunc Grecia physice studiis cunctisque sophis tandemque philosophis circa rerum naturam et principia communiter occupatis, novum speculandi genus et vere moralisque philosophiae considerationem, que sapientia dicitur, secutu[m]” esse. Hic locus apud Hankins (1990), pp. 35-36, disseritur; epistula ex qua sumptus est apud Salutatum (1896), pp. 585-597, invenitur. Salutatus philosophiam moralem, quae de virtutibus officiisque agitur, naturali anteponit, eodem modo ac Muretus ducentis fere annis post.

⁸¹ 1563, p. 167: “Nolite enim putare illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Laelios ceterosque praestantes viros, quos olim haec urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta cum admiratione intuemini, quod de Philosophia neque disputarunt neque scripserunt eo minus Philosophos fuisse.”

genus.”⁸² Nam Plato, secundum Mureti sententiam, cum dixit beatam civitatem regi debere aut a philosophis aut a regibus qui philosopharentur, non cogitabat de hominibus qui subtilitatibus vel artis oratoriae vel rerum naturalium dediti essent, sed de hominibus qui “virtutis pulcritudine incensi omnes vires suas ad eam non cognoscendam modo, sed exercendam, excolendam, propagandam contulissent.”⁸³ Philosophia igitur est omnibus colenda, quippe quae a Mureto sit nominata “vitae . . . gubernatrix . . . virtutum omnium parens . . . vitiorum omnium expultrix.”⁸⁴ Fortasse haec est causa cur Muretus, qui tanti philosophiam aestimavit, putaverit etiam adulescentes philosophia morali instituendos, quamquam Aristoteles aperte contra dixerat.⁸⁵ Potest etiam fieri ut Muretus noluerit auditores, quorum multi erant iuvenes, perdere, eoque compulsus sit ut rationem inveniret qua posset et eos retinere et non contra Aristotelem dicere videri.⁸⁶

DE RATIONE AD HANC EDITIONEM PERFICIENDAM ADHIBITA

Non erat nobis propositum ut hoc in opere editio reapse critica, ut ita dicamus, perficeretur; itaque non est mirum id quod fecimus non esse tali nomine dignum. Nam editione a Frotschero confecta utentes, nonnullas editiones comparavimus antiquiores et quas maioris utilitatis putavimus, ut si qua discrimina visa essent, lectiones meliores caperemus et in nostrum Mureti verborum contextum insereremus. Aliis erit editio vera operum Mureti omnium perficienda, quorum multa etiam nunc iacent manu scripta nec umquam in lucem edita. Tres sunt editiones quibus usi sumus:

⁸² 1563, p. 167.

⁸³ 1563, p. 167.

⁸⁴ 1555, p. 132.

⁸⁵ Haec quaestio a Lines (2002) disseritur (pp. 337-38). Aristoteles enim haec dixerat: διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατῆς ὁ νέος· ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων, οἱ λόγοι δ' ἐκ τούτων καὶ περὶ τούτων· ἔτι δὲ τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς ὢν ματαιῶς ἀκούσεται καὶ ἀνωφελῶς, ἐπειδὴ τὸ τέλος ἔστιν οὐ γνώσις ἀλλὰ πράξις. διαφέρει δ' οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν ἢ τὸ ἦθος νεαρός . . . Lines (p. 337) responsum Mureti animadvertit, quod in Mureto (1602) (pp. 37-38) reperitur.

⁸⁶ Lines (2002), p. 337, haec Mureti verba animadvertit: “Ancipiti hodie et periculoso ac lubrico versamur in loco. Nam cum Aristoteles ab auditione huius philosophiae uno verbo adolescentes arcere ac summovere videatur, vix videmur vitare posse unum de duobus incommodis, quin aut summi magistri auctoritatem non tanti facere iudicemur, quanti eam fieri ab omnibus par est, aut quasi ver tollamus ex anno, ita omnem florentem aetatem ab his disputationibus remove etque ablegare cogamur” (quae verba apud Muretum [1602], p. 35, reperiuntur).

B = *M. Antonii Mureti I. C. & ciuis Rom. orationum volumen secundum*. Ed. Franciscus Bencius. Veronae: Apud Hieronymum Discipulum, 1590.

F = *M. Antonii Mureti opera omnia*. Ed. C. H. Frotscher. Tomi III. Lipsiae: 1834-1841.

V = *Orationes*. Veronae: Apud Ioannem Albertum Tumermanum, 1723.

His litteris in apparatu critico indicatur quo in loco unaquaeque lectio sit quaerenda.

Editio quam Bencius anno 1590o curavit a nobis est magni momenti habita quod Bencius ipse discipulus erat Mureti et amicus, qui etiam orationem in eius funere habuit (1585), quodque non antea, quoad indagare potuimus, hae duae in Platonis *Rem Publicam* orationes sunt editae. Ille qui editionem Tumermani paravit dixit se Mureti manu scripta vidisse, quibus usus est ut contextum orationum corrigeret. Ob has causas decrevimus has editiones adhibere. Tandem editio Frotscheri est tam late divulgata tamque bene nota iis qui operam Mureto dant, ita ut nulla causa nobis videatur cur eius lectiones non sint comparandae.

Editiones non indicavimus quae ad scriptores classicas, ut ita dicamus, spectant, cum tam facile scripta Ciceronis eiusque aequalium reperiantur. Ut locos talium scriptorum ostenderemus, rationem adhibuimus usitatam ad unumquodque opus pertinentem, ut lector posset editione uti quae promptu esset. Aliter fecimus quod attinet ad scriptores recentiores, quorum scripta non tam facile inveniuntur. Itaque editiones a nobis adhibitas quae ad scriptores inde ab Augustino usque ad Muretum ipsum pertinent semper indicavimus, ne aliquid molestiae ferremus lectori qui locos integros invenire vellet.

Restat ut rationem interpunctionis et orthographiae offeramus. Orthographiam vetustiore (e.g. *paullo*, *caussa*, etc.), cum omnes editiones a nobis adhibitae inter se congruant, servavimus. Si aliae editiones alias lectiones praebent, in apparatu notantur. Saepe interpunctionem vetustiore, qua de re inter editiones non est magnus consensus, silentes mutavimus; antiqua enim interpungendi ratio nonnumquam impedit lectores hodiernos quominus compagem verborum sine difficultate intellegant. Itaque si quis voluerit antiquiores editiones quibus usi sumus inspicere, inveniet virgulas ibi positas multo

plures quam posuimus nos. Conati tamen sumus nullam virgulam auferre quae ut totum enuntiatum bene sonaret necessaria videretur.

CAPUT I: ORATIO IN PLATONIS *REM PUBLICAM* PRIMA

HABITA ROMAE PRIDIE NON. NOVEMB.

MDLXXIII

Suscepi hoc anno duos utriusque linguae clarissimos et eloquentissimos interpre- F. p. 321
tandos, Platonis quidem libros de iustitia sive de optimo reipub. statu, Ciceronis autem
libros de finibus bonorum et malorum: sperans fore, ut Deus quidem huic conatui meo
arduo et difficili sed honesto atque utili faveat; vos autem, qui quanta hic vestra utilitas
5 agatur videtis, dignum iis auctoribus qui vobis proponuntur et rebus quae ab eis tractan-
tur studium ad me audiendum adferatis. Ac mihi quidem nihil in eo temere fecisse videor
quod horum librorum explicationem coniungendam iudicarem. Agitur enim in utrisque
de summo bono: in illis quidem de summo bono civitatis, in his autem de summo bono
singulorum. Esse autem idem re ipsa et totius civitatis et uniuscuiusque civis bonum et
10 Plato et Aristoteles saepe docuerunt. Sed scio fore nonnullos qui meum consilium vitu-
perent, quod me in Latinis tantum scriptoribus versari, a Graecis prorsus abstinere cupe-
rent. Erunt etiam qui ab homine tradendis eloquentiae praeceptis praefecto ac praeposito

2 **reipub.**] B, F: reipublicae V

8 **illis**] B, F: iis V

4–6 **vos . . . adferatis.**] Id est, “vos . . . dignum iis auctoribus . . . et rebus . . . studium ad me audiendum adferatis.”

9–10 **Esse autem idem re ipsa . . .**] Id est, ordine verborum paulo mutato, “Et Plato et Aristoteles saepe docuerunt idem esse bonum, re ipsa, et totius civitatis et uniuscuiusque civis.”

10–12 **Sed scio fore nonnullos, qui . . . cuperent.**] De quibus linguae Graecae vituperatoribus Muretus cogitaverit plenius in praefatione disseritur. Tales homines certe exstabant ineunte saeculo 15o (vid. Geanakoplos [1974], pp. 130-131), sed tempore Mureti studia Graeca a plurimis eruditibus laudabantur. Erant tamen nonnulli Franciscani qui linguam Graecam odio habebant ita ut libros Graecos duobus iuvenibus – vulgo Pierre Lamy et François Rabelais – auferrent (McNeil 1975, pp. 83-84). Quo facto Budaeus ipse ad hos epistulas misit. Vid. etiam Dejob (1881), pp. 261-67.

12 **ab homine . . . praeposito**] De officio quo Muretus hoc temporeungebatur, vid. praefationem.

orationem potius Ciceronis aliquam aut aliquem eorum librorum qui ab eo de arte rhetorica scripti sunt explicari debuisse contendant. Quibus utrisque breviter satisfaciam ut
15 et omnem eis, quantum in me quidem erit, errorem eripiam: et tamen caveam, ne haec ipsa, ut apud nonnullos supervacanea, sic apud plerosque necessaria, purgatio nimium
temporis nobis eripiat. Primum igitur istis Graecae linguae osoribus ita responsum volo, omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui studio, uno
verbo, quicquid usquam est politiorum disciplinarum, nullis aliis quam Graecorum libris
20 ac literis contineri. Itaque quod olim M. Catonem illum Censorium vaticinatum ferunt,

13–14 **orationem potius Ciceronis . . . contendant.**] Vid. praefationem de Ciceronianis. Muretus inter eos erat qui artis rhetoricae enchiridia spernerent, putantes discipulos plus beneficii consecuturos si ad ipsos fontes se conferrent.

15 **quantum in me quidem erit**] Cf. Cic. *Phil.* 1: “In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis Atheniensiumque renovavi vetus exemplum” et Plin. *Epist.* 3, 3: “cupiam necesse est atque etiam quantum in me fuerit enitar.” Apud Muretum ipsum saepe reperitur “quantum in me est,” “quantum in me positum est,” “quantum in me positum est.”

15 **caveam**] Et hoc verbum temporale et illud “satisfaciam” quod supra legitur melius intelleguntur sensu hortativo.

17 **osoribus**] Osor est qui odit. Dicit F.: “Non damnem hoc substantivum, licet haud saepe apud veteres legatur.” Reperitur, inter alios, apud Plautum (*Poenulum* ll. 73-74: “diviti . . . seni | . . . osori mulierum”), apud Apuleium (*De Deo Socratis* XII: “poetae solent haudquaquam procul a veritate osores et amatores quorundam hominum deos fingere”), et Thomam Morum (*Utopia*: “osor voluptatis”).

18 **hominis ingenui**] Id est, hominis nobilis vel meliore loco nati.

18–19 **uno verbo**] Haec locutio reperitur apud Ciceronem (*De Or.* II, 150), Quintilianum, Senecam, et alios.

19–20 **quicquid . . . contineri.**] Cf. verba Aldi Manutii, ut sciamus tales sententias ab aliis quoque cultas, quae anno 1498o scripsit in praefatione ad opera Aristophanis adiuncta: “Facillime, Graecis literis adiutricibus, omnium laudatarum artium procreatricem philosophiam callebunt [liberalibus disciplinis operam daturi], nec medicinam minus. Errant meo iudicio multum, qui se bonos philosophos medicosque evasuros hoc tempore existimant, si expertes fuerint literarum Graecarum . . .” (Manutius [2016], p. 68).

20–22 **Itaque . . . omnia perdituros**] Haec sententia involuta facilius explicabitur aliis verbis. Hoc sibi vult: “Itaque id quod M. Cato (cum etiam litteris Graecis inimicus esset, quas [sc. litteras] magna cum cupiditate, postea errore comperto, senex didicit) dicitur divinasse Graecos, simul atque litterae eorum in urbem

cum adhuc Graecis litteris infensus esset, quas tamen, postea cognito errore, senex avidissime didicit, Graecos, simul atque litteras suas in urbem misissent, omnia perdituros: multo nos hodie et verius et certius atque exploratius praedicere possumus, si homines nostri paullo magis Graecas litteras negligere coeperint, omnibus bonis artibus certissimam pestem ac perniciem imminere. Hoc si isti aut videre per inscitiam et ignorantem harum rerum non queunt aut agnoscere propter obstinatum quoddam et inveteratum in Graecos odium nolunt, persistent sane et obdurent in sententia sua; nobis ignoscant si, quo in studio plurimum operae posuimus, ab eo non facile abducimur. Sed et eius dignitatem conservare nitimur et quas ex eo utilitates percepisse nobis videmur, eas cum aliis communicare conamur.

Sed adversus hos et diximus alias plura et quoties dabitur occasio dicturi sumus. Hoc autem tempore nobis aequiores esse debent, quod ita nostram docendi rationem temperabimus, ut etiam iis, qui Graece nesciunt, multum tamen nos ad illam ipsam, quae in

24 **paullo**] B, F: paulo V

receptae essent, omnia destructuros esse . . .” De Catonis sentiis ad litteras Graecas pertinentibus, vid. Ciceronis – “ego . . . qui litteras Graecas senex didici” (*De Senect.* 3 et 26) – et Plutarchi *Catonem Maiorem* 2, 4 (παιδείας Ἑλληνικῆς ὀψιμαθῆς γενέσθαι). Ab his discimus Catonem iam aetate provectum litteris Graecis studuisse; ut causam inveniamus cur Muretus dixerit Catonem litteras Graecas odisse, Plinius Maior est inspiciendus: “quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia conrumpet, tum etiam magis, si medicos suos hoc mittet” (*Nat. Hist.* 29.13-14).

25 **pestem ac perniciem**] Sine dubio hanc locutionem Muretus sumpsit ex Cicerone, a quo bis adhibita est (*Pro Rab.* 2, *De Div.* I, 47).

31 **alias**] Adverbium, sane, non adiectivum, cuius significatio est “aliis temporibus.”

32–35 **Hoc autem tempore . . . speremus.**] Id est, ordine verborum paulo mutato, “etiam iis, qui non possunt Graece legere, multum auxilii speremus nos allaturos ad illam ipsam Marsilii interpretationem, quae in manibus est, qualiscunque est, commodius intelligendam.”

33 **ut etiam iis, qui Graece nesciunt**] Non semper erat mos Mureti ita contextus Graecos tractare ut etiam homines Graecae imperiti possent intellegere. Vid. Lines (2002) de Mureti commentariis in Aristotelis *Ethica* scriptis: “He bases his lecture on the Greek text . . . and liberally sprinkles his discussion of individual

manibus est, qualiscunque est, Marsilii interpretationem commodius intelligendam auxili-
35 lii allaturos esse speremus. Qui autem aliena esse haec eius personae quam hoc tempore
sustinemus putant, primum hoc velim in memoriam revocent, quibus temporibus ars rhe-
torica doceri coepta est, eosdem habitos esse et politicos et dicendi magistros. In quo ut,
qui tum se eos pro talibus venditabant, nimium sibi sumpsisse artique suae pro soccis, ut
ita dicam, cothurnos induisse fateamur: ex eo tamen ipso intelligi licet, magnam aliquam
40 inter eas facultates affinitatem ac similitudinem esse. Neque enim res plane disiunctae
ac dissimiles iungi ac permutari inter se solent: neque quisquam est aut ita duro ore aut
ita hebetibus oculis, ut earum unam pro altera aut aliis tentet obtrudere aut sibi ipse pa-
tiatur obtrudi. Deinde Aristoteles, qui, quae quasi sylva ac materies oratori proposita sit, F. p. 323
unus omnium et vidit optime et diligentissime persecutus est, rhetoricam ex quadam dia-

passages with the Greek original, sometimes emended according to his own conjectures. When he refers to works by other Greek writers, he often cites them at length, again in the original,” quae tamen consuetudo non omnibus discipulis placuit (p. 333).

34 **Marsilii interpretationem commodius intelligendam**] Ficinus enim opera Platonis omnia saeculo priore in sermonem Latinum verterat. Vid. Hankins (1990), pp. 300-317.

35–37 **Qui autem . . . magistros.**] Quod argumentum plenius effusiusque tractabitur in oratione quae sequitur. Vid. quoque 1557.

38–39 **pro soccis . . . fateamur**] Socci erant calceamenta quae gerebantur praecipue ab histrionibus comoedis, cothurni tamen a tragoedis.

43–44 **Aristoteles, qui . . . persecutus est**] Id est, ordine verborum paulo mutato, Aristoteles, qui unus ex omnibus aliis hominibus et optime vidit et diligentissime persecutus est quae materies oratori proposita esset.

44 **rheticam . . . docet existere**] Vid. Aristotelis *Artem Rheticam* I, 2, 7, quem locum F. animadvertit: ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἶον παραφυῆς τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι καὶ τῆς περὶ τὰ ἦθη πραγματείας, ἣν δικάσιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικὴν. Et Muretum alibi de Aristotele disserentem: “Ut enim dialecticus duobus instrumentis utitur ad probandum, syllogismo et inductione, ita orator duobus, quae illis ex altera parte respondent, enthymemate et exemplo. Enthymema, oratorius syllogismus est: exemplum, oratoria inductio” (1576c, p. 349).

44–45 **dialectices et politices**] Pro “artis dialecticae et artis politicae” Muretus formis Graecis utitur

45 lectices et politices permistione quasique consitione docet existere, ut, non dicam tueri munus suum, sed ne esse quidem ac constare possit, nisi decerptas ac delibatas ex earum utraque particulas corrogarit. Ut igitur veteres illi arroganter, qui cum pectendae modo et intorquendae et tamquam calamistris inurendae orationis vias traderent, politicos se haberi volebant: ita nos modeste, qui quod nobis deest, quoque carere non possumus, a
50 Philosophis mutuamur. Quid? Non Hermagoras, cuius auctoritatem secuti plurimi sunt, civiles quaestiones oratoris esse materiam tradidit? A quo qui dissenserunt non eo errasse illum dixerunt, quod oratori nimium tribuisset, sed quod parum. Nonne Aristoteles ipse diligenter cognoscendas esse oratori rerum publicarum formas praecipit? Quid vero apud

47 **arroganter**] B, V: arrogantes F

50 **Quid?**] F: Quid, V

49 **modeste**] modeste B, V: modesti F

52 **tribuisset**] B, F: trabuisset V

(*dialectices* = διαλεκτικῆς, *politices* = πολιτικῆς).

45 **tueri**] sc. possit (ex enuntiatio quod sequitur).

47 **corrogarit**] sc. ars rhetorica.

50–51 **Non Hermagoras . . . tradidit?**] Vid. Sexti Empirici Πρὸς Ῥήτορας II, 62: καὶ Ἑρμαγόρας τελείου ῥήτορος ἔργον εἶναι ἔλεγε τὸ τεθὲν πολιτικὸν ζήτημα διατίθεσθαι κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον πειστικῶς.

52–53 **Nonne Aristoteles . . . cognoscendas esse oratori rerum publicarum formas praecipit?**] F. hunc Aristotelis locum animadvertit: μέγιστον δὲ καὶ κυριώτατον ἀπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν καὶ καλῶς συμβουλεύειν τὸ τὰς πολιτείας ἀπάσας λαβεῖν καὶ τὰ ἐκάστης ἦθη καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα διελεῖν. πείθονται γὰρ ἅπαντες τῷ συμφέροντι, συμφέρει δὲ τὸ σῶζον τὴν πολιτείαν. ἔτι δὲ κυρία μὲν ἐστὶν ἡ τοῦ κυρίου ἀπόφανσις, τὰ δὲ κύρια διήρηται κατὰ τὰς πολιτείας: ὅσαι γὰρ αἱ πολιτεῖαι, τοσαῦτα καὶ τὰ κύρια ἐστὶν. εἰσὶν δὲ πολιτεῖαι τέτταρες, δημοκρατία, ὀλιγαρχία, ἀριστοκρατία, μοναρχία, ὥστε τὸ μὲν κύριον καὶ τὸ κρῖνον τούτων τι ἂν εἴη μόριον ἢ ὅλον τούτων (*Rhet.* I, 8).

53–55 **Quid vero apud Ciceronem frequentius . . .**] Vid. Ciceronis libros *De oratore* inscriptos. E.g. I, 68–69: “Sed si me audiet, quoniam philosophia in tris partis est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores, duo illa relinquamus atque largiamur inertiae nostrae; tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus; cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo ad eum erunt delata et ei tradita.” Cf. Muretum ipsum alibi de his rebus loquentem: “neque quisquam oratoris aut eloquentis nomine dignus evaserit qui non prius omnia philoso-

Ciceronem frequentius, quam sine Philosophia non posse effici eloquentem, omnemque
55 ubertatem dicendi ac copiam a Philosophorum scriptis esse oratori petendam? qui etiam
se non ex rhetorum umbraculis, sed ex Academiae spatiis oratorem extitisse profitetur. An
umquam Pericles fulgurare, tonare, permiscere Graeciam dictus esset, nisi Anaxagoram
audiisset? Demosthenem autem, quo nemo unquam in dicendo nervosior aut efficacior
fuit, unde hausisse illam vim, qua superat omnes, nisi ex Platonis schola et sermonibus
60 creditis?

Sed est quoddam genus hominum, qui cum se Ciceronis studiosissimos haberi ve-
lint, uni ex omnibus Ciceronis auctoritatem ac iudicium maxime contemnere videntur.

phorum scripta, quae quidem ad formandos mores et ad tractandam rempub. pertinent, omnem historiam
veterem, omnes antiquos et Graecos et Latinos poetas diligenter et accurate pervolutarit” (1572b, p. 263).

56 **umbraculis**] Proprio sensu, umbraculum est locus in quo est umbra; translate autem eandem habet
significationem ac *schola*.

56–58 **An umquam Pericles . . . nisi Anaxagoram audiisset?**] Cf. verba simillima quae in alia Mureti
oratione, “De philosophiae et eloquentiae coniunctione” inscripta, reperiuntur: “Quid Periclem illum, cuius
in labris persuadendi Deam sessitavisse dictum est, quem fulgurare, quem tonare, quem permiscere Grae-
ciam Comici veteres tradiderunt, quid igitur illum impulit, ut Anaxagorae se Physico erudiendum daret,
eumque assectaretur, si ad illam, ad quam adspirabat, eloquentiae laudem nihil in illius doctrina intellexerat
esse momenti?” (1557, p. 143).

58–60 **Demosthenem . . . creditis?**] Apud nonnullos scriptores Demosthenis fertur apud Platonem rebus
philosophicis studuisse, vel saltem libros Platonem legisse. Vid. Plutarchi *Dem.* 5.5; Ciceronis *Brutus* 121;
Quintiliani *Inst.* XII, 2, 22. Muretus eundem argumentum alibi prosequitur, Demosthenem cum Cicerone
coniungens: “Quid Demosthenem, quid M. Tullium commemorem? tantam in utroque dicendi copiam fuisse
censemus, nisi ille Platonem, hic Philonem, Diodotum, Posidonium aliosque permultos nobiles Philosophos
studiose ac diligenter audisset?” (1557, p. 143).

61–62 **Sed . . . videntur**] Alibi paulo vehementius in Ciceronianos Muretus invehitur. Ludibrio habet eum
qui “vulgaria Rhetorum praecepta utcunque [didicerit] et in Ciceronis scriptis tantum [posuerit] operae, ut,
adhibito Nizolii libro, possit orationem aut epistolam scribere, cuius tum singulae voces, tum ipsa etiam
structura et collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum consensu, qui nihil altius aut sublimius co-
gitant, eloquentis nomen assumit”; Muretus enim putat huiusmodi eloquentiam longe abesse ab eloquentia
quam antiqui colebant (1572b, pp. 261–62). (De Nizolio vid. annotationem infra scriptam in versum 78m.)

Nam cum Cicero toties inculcet, ei qui ad eloquentiae gloriam aspiret, pervolutandum esse omne scriptorum genus, ut multiplici rerum cognitione quasi laetificata efflorescat
65 ac redundet oratio: hi perinde ac si hoc aut non legerint aut satis putent esse quod legerint, ad unius Ciceronis scripta tamquam ad Sirenios scopulos adhaerescunt, ea una manibus terunt, eorum non vovulas modo, sed syllabas prope omnes minuta quadam et anxia curiositate ad calculos vocant, ab eis commovere oculos nefas putant, praeter unum denique Ciceronem aut tres, si forte, aut quatuor illorum temporum aequales aut certe illi
70 aetati suppare, aliorum omnium scriptorum contactum ipsum refugiunt, ne inquinentur. Itaque ut Ixion in poetarum fabulis nubem amplexatus dicitur, cum sibi Iunonem amplexari videretur: ita isti pro vera et solida et succi ac sanguinis plena eloquentia ariditatem quandam ac sterilitatem orationis, et ieiunam et fame ac macie enectam, et nullius rei nisi odii plenam in verbis ad Lydium illum Nizolii lapidem examinandis morositatem

F. p. 324

63–65 **Nam cum . . . efflorescat ac redundet oratio**] Cf. Ciceronem: “Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus: etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio” (*De Or.* I, 20).

65–66 **hi perinde . . .**] Alibi Muretus dialogum fingit inter se et Ciceronianum quendam: “[Ciceronianus:] Latinae quidem eloquentiae laudem affectanti satis esse unus Cicero visus est. [Muretus:] Quae ista, malum, Latina eloquentia est, aut quando quisquam veterum istud iter ad eloquentiam tenuit? Mihi quisquam eloquentiam vocat, cum genera caussarum et nomina figurarum et vulgaria quaedam praecepta de conformandis orationis partibus et huiusmodi naenias didiceris, vovulas ex Cicerone collectas coniungere et ex eis quasi tessellis ieiunam ac famelicam orationem contexere, sedulo caventem ne quid dicatur, quod non ante Cicero dixerit? Picarum et psittacorum ista eloquentia est, auditas voces iterare ac reddere neque quidquam unquam dicere quod sit vere ac proprie tuum” (1572b, p. 262).

68 **ad calculos**] Cicero: “Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum” (*De Am.* 58). Seneca: “Mihi crede, advoca illam in consilium: suadebit tibi ne ad calculos sedeas” (*Epist.* II, 17, 2). Livius: “An si ad calculos eum res publica vocet, non merito dicat: ‘annua aera habes, annuam operam ede: an tu aequum censes militia semestri solidum te stipendium accipere?’” (V, 4).

71–72 **Itaque ut Ixion . . . videretur**] De Ixione vid. Pindarum, *Pyth.* 2 et Diodorum Siculum IV.69.3–5.

74 **ad Lydium illum Nizolii lapidem**] Lapis Lydius est lapis quo varia metallorum genera discernuntur.

75 amplexantur. Ridicula capita! Cuius se admiratores praecipuos videri volunt, eius mo-
nita ac praecepta ad se pertinere non censerent. Nos vero demus operam, ut simus, quod
isti non sunt, vere ac serio Ciceroniani, et illi saluberrimo Ciceronis praecepto obtempe-
rantes excutiamus ac perscrutemur omnes forulos bibliothecarum veterum; inprimisque
amemus atque admiremur Platonem: quo ille laudando ac commendando expleri non po-
80 test; quem nec nimis valde nec nimis saepe laudari posse ait; quem omnium, quicumque
unquam scripserunt locutivae sunt, principem; quem cum Panaetio Philosophorum Home-
rum, quem auctorem divinum, quem quasi Deum quendam Philosophorum vocat; cuius
sapientiam et eloquentiam sic admirata est antiquitas, ut Iovem ipsum dicerent, si Graece
loqueretur, sic loqui.

75 **capita!**] F: capita B, V

Muretus hanc notionem metaphorice inducit pro illo Marii Nizolii libro, qui *Thesaurus Ciceronianus* inscribitur, quo Ciceroniani locutiones experiebantur. Muretus, sane, talia opera irridebat (vid. supra annotationem in versus 65-67 scriptam). Dicit se quondam in oratione admiscuisse locutiones apud Ciceronem repertas sed non apud Nizolium; auditores, qui putabant se veros Ciceronianos esse, “ut earum quamque audierant, cervicem contorquere, humeros attollere, frontem contrahere . . .” (*Variarum Lectionum* lib. XV, cap. I; F. vol. III, p. 330.)

79 **ille**] Id est, Cicero.

81–82 **quem cum Panaetio Philosophorum Homerum**] F. hunc Ciceronis locum animadvertit: “credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti? quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc unam sententiam de immortalitate animorum non probat” (*Tusc.* I, 79).

82 **auctorem divinum**] F. hunc Ciceronis locum animadvertit: “Sequitur igitur ut institui divinum illum virum quem <nimia> quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est” (*De leg.* III, 1).

82 **quem quasi Deum quendam Philosophorum vocat**] F. hunc Ciceronis locum animadvertit: “Audiamus enim Platonem quasi quendam deum philosophorum” (N. D. II, 32). Alius fons huius dicti non videtur exstare.

83–84 **ut Iovem ipsum dicerent . . . sic loqui**] F. hunc Ciceronis locum animadvertit: “Quis enim uberior in dicendo Platone? Iovem sic [ut] aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui” (*Brut.* 121). Vid. quoque orationem Mureti “De philosophiae et eloquentiae coniunctione” inscriptam, in qua eadem fere verba repe-

85 Atque equidem constitueram hodie de Platone aliquid dicere: sed me copia ipsa deterruit. Vix enim potest quisque ullum paullo digniorem lectu scriptorem, eorum quidem, qui post Platonem vixerunt, in manus sumere, ut non in aliquid, quod de Platone ample ac magnifice dicatur, incurrat. Quare de ipso quidem in praesentia silentium erit: sed quando librum primum de Repub. explicare ingredior, attingam prius et exponam breviter
90 nonnulla, quae Platonis interpretes quasi que hypophetae in uniuscuiusque libri Platonici principio tractare consueverunt. Primum igitur dicam, quid in his libris propositum sit Platoni; quod Graeci σκοπὸν aut πρόθεσιν vocant: deinde quo in genere eos scripserit; quod illi εἶδος aut χαρακτηῖρα dicunt: postremo eorum ὕλην sive materiam explicabo. Materiam autem voco, ne quis sit error, non id, quo de agitur: ea enim est, quam dixi
95 πρόθεσιν: sed certam quandam totius disputationis, ut rhetores loquuntur, περίστασιν, quae loco, tempore, personis continetur. Quid igitur Platoni praecipue propositum sit in his dialogis, non eadem omnium sententia est. Sunt enim, qui de iustitia hic, non de republica, praecipue disputari contendunt, quae vis eius quaeque natura sit, et ut ex eius cultu omnia bona et privatim et publice ad homines perveniant, contraque mala omnia ab iniustitiae fonte manent. Huius opinionis suae tria potissimum argumenta afferunt. Unum, F. p. 325
100 quod principium totius disputationis, quae cum Cephalo posteaque cum Polemarcho et Thrasymacho instituitur, manifesto a iustitia ducitur: neque quidquam ab eis aliud quaeri videtur. Alterum, quod quicquid in his libris de Republica dicitur, accessio quaedam est et appendix disputationis de iustitia. Cum enim ex dubitationibus Glauconis et Adimanti
105 expressior quaedam et evidentior iustitiae tractatio requireretur, eaque videretur semper aliquid obscuritatis habitura, quam diu in uno homine insisteretur; quo maiorem et latiore campum haberet oratio, transiit Socrates ad explicandam formam totius civitatis,

98 **eius**] B, F: eis V

106 **quo**] B, F: quod V

102 **manifesto**] B, V: manifeste F

107 **transiit**] B, F: transit V

104 **Cum**] B, V: Dum F

riuntur: "De quo [sc. Platone] Cicero, bonus inprimis aestimator eloquentiae, ita magnifice sentiebat, Iovem ut ipsum, si Graece loqui vellet, non alio quam Platonis sermone usurum esse diceret" (1557, pp. 146-7).

ut, cum docuisset toti civitati et necessariam et salutarem esse iustitiam, etiam in singulis eandem illius esse vim, facilius et apertius cerneretur. Qua in transitione comparisonem adhibuit elegantissimam, quae his verbis explicata est libro secundo: “Si quis,” inquit, “nobis proposuisset aliquid longo intervallo legendum, quid minutis litteris scriptum foret, neque nos valde acutis et perspicacibus essemus oculis, posteaque alicui nostrum veniret in mentem, idem alibi extare in grandiori tabula grandioribus litteris scriptum, nemo esset, quin lucro quodammodo apponeret, illam prius grandiore tabulam inspicere, ut postea, quae in minore scripta essent, iisdem vestigiis facilius persequi posset.” Addit deinde, eandem esse et idem efficere iustitiam in tota civitate et in uno homine, sed vim illius in civitate, quae maior ampliorque sit, et facilius et clarius perspicari posse. Quod si disputatio de repub. ad illustrandam iustitiae naturam quaesita est, constat hanc quidem esse principem et προηγουμένην, illam de repub. adscitam et ἐπίπτουσαν καὶ παρεμβεβλημένην. Postremo id e Socratis ipsius verbis apertissime colligi, qui quoties ut fit in disputando a iustitia evagatus est, ad eam rediens, ait se redire ad id quod quaeritur et de quo instituta est disputatio: et ad ipsum libri decimi finem ita totum sermonem concludit, ut dicat, colendam esse iustitiam, ut et nobismet ipsis et Diis immortalibus amici simus. Haec igitur argumenta sunt eorum, qui de iustitia, non de repub. praecipuam quaestionem in his dialogis esse aiunt. Qua in sententia Marsilius fuit, qui quidem in huius libri argumento ita scripserit: “Atque ut saepe in his libris, sed praecipue in secundo declarat, totam dispu-

108 **salutarem**] B, F: salutem V

124 **repub.**] F: rep. B: republica V

118 **repub.**] F: Rep. B: Republica V

126 **scripserit**] B, F: scripsit V

119 **repub.**] F: Rep. B: Republica V

110–115 “**Si quis . . . posset.**”] Ipsa Platonis verba: εἰ προσέταξέ τις γράμματα σμικρὰ πόρρωθεν ἀναγνῶναι μὴ πάνυ ὀξὺ βλέπουσιν, ἔπειτά τις ἐνενόησεν, ὅτι τὰ αὐτὰ γράμματα ἔστι που καὶ ἄλλοθι μείζω τε καὶ ἐν μείζονι, ἔρμαιον ἂν ἐφάνη οἶμαι ἐκεῖνα πρῶτον ἀναγνόντας οὕτως ἐπισκοπεῖν τὰ ἐλάττω, εἰ τὰ αὐτὰ ὄντα τυγχάνει (*Resp.* 368D).

122–123 **ut et nobismet ipsis et Diis immortalibus amici simus.**] Cf. Platonem: ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς . . . (*Resp.* 621C). Quae verba Ficino (1546) in sermonem Latinum ita reddit: “ut et nobis ipsis simus et diis amici” (p. 672).

tationem de iustitia a nobis inscribi mavult quam de republica.” Idem sentit et Chalcidius principio commentarii, quem scripsit in Timaeum. Sed et multorum ex veteribus eadem fuit opinio.

130 Alii tamen, quorum non minor est auctoritas, praecipuam esse censent quaestio-
nem de republica: idque his argumentis confirmant. Primum, quod inscriptio est de repub.
Quod argumentum ut plus habeat ponderis, ostendunt inscriptionem illam esse antiquis- F. p. 326
simam maximeque γνησίαν. Intelligendum est enim, non omnes inscriptiones librorum
Platonis aut antiquas aut indubitatas esse. Nam et Platoni quaedam tribuuntur, quae Pla-
135 tonis non sunt, ut Axiochus sive de morte, qui Xenophanis Platonici est, quod et Marsilius
scivit; ut Alcibiades secundus, quem et Athenaeus ait putari Xenophontis, et stylus ipse
id ostendere videtur; et Halcyon sive de mutatione formae olim legebatur inter opera Pla-
tonis, hodie inter dialogos Luciani; cum eorum neutrius sit, sed Leontis Academici; et ii
dialogi, qui sine ulla dubitatione Platonis sunt, aliter ab aliis nominantur; ut Parmenides
140 ab aliis περὶ ἰδεῶν, ab aliis περὶ γυμνασίας, ab aliis περὶ τοῦ ὄντος, ut testatur Procu-
lus; ut Philebus, ab aliis de voluptate, ab aliis de summo bono; et qui hodie titulum habet
ἐραστῶν, id est, amatorum, ab omnibus antiquis ἀντερραστῶν, id est, rivalium nomine
citari solet; estque ea verior inscriptio. Qui ergo ab inscriptione argumentantur, aiunt
verissimam et antiquissimam horum librorum inscriptionem esse πολιτείαν, id est, de
145 repub. non de iustitia. Nam et Aristoteles cum eorum epitomen quandam confecisset, ait

131 **repub.**] F: republica B, V

145 **repub.**] F: Rep. B: Republica V

127–128 **Chalcidius . . . Timaeum**] “Igitur cum in illis libris [sc. de rei publicae scriptis] quaesita atque inventa videretur esse iustitia quae versaretur in rebus humanis . . .” (p. 59 in Chalcidio [1962]).

135–136 **Marsilius scivit**] Vid. Hankins (1990): “Ficino, however, attributed the work to Xenocrates, apparently on the strength of a testimony in Diogenes” (p. 307, ann. 104).

136 **stylus**] Verbum quod, etsi cum usu Ciceronis non congruit, reperitur tamen apud Plinium et alios Plinii aequales. Fortasse hoc in loco inducitur consulto ut Muretus ostendat se non serviliter Ciceronem imitari, sed verba idonea aliis ex fontibus, cum necesse fuerit, libenter sumere.

οὕτως ἐπιτετριῆσθαι τὴν Πλάτωνος πολιτείαν· et in Convivio et in Politicis, quoties horum librorum mentio est, ita eas nominat. Theophrastus quoque in libris de Legibus eadem appellatione utitur. Sed et Plutarchus in quaestionibus Platoniceis et Athenaeus et Origenes, et ex Latinis Cicero, Macrobius, Lactantius, Chalcidius, omnes denique antiqui hos
150 libros de repub. non de iustitia vocant. Iam vero Platoniarum inscriptionum tria genera sunt: ἐκ προσώπων, ut Parmenides, Protagoras, Gorgias, Hippias; περιστατικά, ut Convivium; πραγματικά, ut Νόμων, Πολιτικός, Σοφιστής. Hae postremae semper continent τὸ προηγουμένως ζητούμενον. Haec autem et vera est et πραγματική.

150 **repub.**] V: republica

151 **sunt**] B, F: V omittit

146 **οὕτως ἐπιτετριῆσθαι τὴν Πλάτωνος πολιτείαν**] Quamquam F. de hoc loco siluit, Muretus cogitare videtur de Proclo, qui scripsit: καὶ γὰρ Ἀριστοτέλης ἐπιτεμνόμενος τὴν πραγματείαν ταύτην οὕτωςί φησιν, ἐπιτέμεσθαι τὴν Πολιτείαν, καὶ ἐν τῷ Συσσιτικῷ τοῦτον αὐτὴν προσαγορεύει τὸν τρόπον καὶ ἐν τοῖς Πολιτικοῖς ὡσαύτως, καὶ Θεόφραστος ἐν Νόμοις καὶ ἄλλοι πολλοῦ (*In Platonis rem publicam commentarii* 4036).

153 **Haec . . . πραγματική**] Post haec verba F. scripsit “Reliqua desiderantur,” editor qui editionem Veroniensem curavit “Desiderantur hic argumenta reliqua pro sententia eorum qui Quaestionem Platonis in his libris praecipuam esse de Republica censent. Neque ultra dicendo progressus ipse videtur Muretus. Caetera enim, quae proposuerat, reiecit in sequens.”

CAPUT II: ORATIO IN PLATONIS *REM PUBLICAM* ALTERA

HABITA ROMAE IV. KAL. MARTII

MDLXXIV

Multa sapienter ab Euripide dicta sunt quaeque praeclare sustineant famam illius oraculi quo traditum est eum in tribus qui illa aetate sapientissimi essent ipsius Dei voce numeratum: recteque iudicavit Q. Cicero cum dixit se singulos eius versus singula testimonia putare. Apud eum autem quodam loco mirari se dicit Hecuba quod non, aliis omnibus studiis omissis, omnes homines ad studium eloquentiae incumbant: eam enim unam in rebus humanis quasi regnum quoddam obtinere. Est et alibi, apud eundem poetam, orationem ad res efficiendas non minus valere quam ferrum. Quae non splendidius aut magnificentius dici quam verius et docet vetus historia et communis vita declarat. Quid enim notius est quam in omni aetate extitisse semper aliquos qui quasi quodam gubernaculo ita lingua huc illuc mentes audientium flecterent, quietas concitarent, commotas ac

1–3 **illius oraculi . . . numeratum**] Annotatio F.: “Schol. in Aristoph. Nub. 144. Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ’ Εὐριπίδης, | ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος. Cf. Suidas in v. Σοφός.” Origenes (1857) videtur mentionem huius oraculi fecisse in libro *Contra Celsum* 7.6. Editor illius voluminis animadvertit eosdem locos atque F.

3 **Q. Cicero**] Frater Ciceronis minor natu.

3–4 **dixit . . . putare**] F. locum animadvertit: “ego certe singulos eius versus singula testimonia puto” (Cicero, *Epist. ad Fam.* XVI, 8).

4–5 **quod non . . . incumbant**] Muretus de his versibus (814–19, quos F. animadvertit) videtur cogitavisse: τί δῆτα θνητοὶ τᾶλλα μὲν μαθήματα | μοχθοῦμεν ὡς χρῆ πάντα καὶ ματεῦμεν, | Πειθῶ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην | οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν | μισθοὺς διδόντες μανθάνειν, ἔν’ ἦν ποτε | πείθειν ἅ τις βούλοιτο τυγχάνειν θ’ ἅμα; Quos in Latinum sermonem sic vertit Erasmus (1530): “Quid disciplinis (dignum ut est) in caeteris | Sudamus, atque in singulas inquirimus? Ac non magis suadela, quae mortalibus | Regina sola est, examussim exquiritur? | Datoque precio discitur, quo quae velit, | Ea quisque persuadere possit et assequi?” (p. 60)

7 **orationem . . . ferrum.**] F. versus 516–17 in Euripidis *Phoenissis* repertos animadvertit: πᾶν γὰρ ἐξαίρετῷ λόγος | ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν. Id est, oratio omnia potest efficere quae ferrum hostium efficiat.

10–11 **quietas . . . commotas ac concitatas**] sc. mentes.

concitatas tranquillarent ac mitigarent, perspicue veris fidem detraherent, incredibilibus
 probabilitatem conciliarent, veteres opiniones evellerent, novas insererent, quid denique
 et quatenus ab aliis credi vellent, ipsi definirerent quasque terminos pangerent? Neque vero
 huius tantae ac tam admirabilis potestatis suae ipsa sibi parum conscia eloquentia est:
 15 neque unquam eam obscure ac dissimulanter tulit, quae, ut e vetere comoedia cognosci-
 mus, ab ipso prope ortus sui principio ausa sit profiteri, se vias tenere ac tradere, quibus F. p. 328
 caussa inferior dicendo superior fieri posset. Neque vanam aut inanem illam gloriationem
 fuisse, gravissimis persaepe maximeque insignibus exemplis in omni civitate patefactum
 est. Cum igitur homines natura potentiae cupidi sint et tantum ad eam in eloquentia mo-
 20 menti sit, omnia omnes eius consequendae caussa facere, ut ait Euripides, consentaneum
 esset. At mihi tamen contra nonnunquam accuratius haec in animo reputanti mirum vi-
 deri solet, non iampridem omnes dicendi magistros, una cum illo suo praeclaro artificio, ex
 omnibus locis communi aliquo gentium ac populorum scito eiectos, expulsos, extermina-
 tos fuisse. Neque enim adversus illos aut accusatore ullo aut teste opus est. Ipsi se indicant,
 25 ipsi se deferunt, ipsi quod occultandum potius videretur, id sine metu ac pudore prae se
 ferunt, id ostentant, eo se venditant, eo gloriantur. Nihil tam certum tamque exploratum

22 **iampridem**] B, V: iam pridem F

24 **indicant**] B, F: iudicant V

15 **eam**] I.e., *suam potestatem*.

15 **e vetere comoedia**] De Aristophanis *Nubibus* cogitaverit Muretus.

16–17 **quibus . . . posset.**] Cuius rei accusatus est Socrates, qui, secundum Platonis narrationem, in sua *Apologia* dicit se ab aliis se ita reprehendi: ἔστιν τις Σωκράτης σοφὸς ἀνὴρ, τὰ τε μετέωρα φροντιστῆς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς πάντα ἀνεζητηκῶς καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν (18B-C).

19 **natura potentiae cupidi sint**] Id est, naturā ita constituti sint ut potentiam cupiant.

20–21 **omnia . . . esset.**] Aliis verbis: “Consentaneum esset, ut ait Euripides, si omnes omnia eius consequendae caussa facerent.”

23 **communi . . . scito**] Id est, “communi gentium ac populorum decreto.”

26–28 **Nihil . . . queat**] Id est, ordine verborum paulo mutato, “Nihil tam certum tamque exploratum est, ut non possit eloquentiae viribus in dubium vocari; nihil tam absurdum tamque perversum est, ut non possit eloquentiae viribus obtineri ac persuaderi.”

esse quod non in dubium vocari, nihil tam absurdum tamque perversum quod non eloquentiae viribus obtineri ac persuaderi queat: voces sunt hominum istam facultatem non calumniari et in odium vocare sed ornare et hominibus commendare cupientium. Hoc
30 autem quid aliud est quam noctem ac caliginem rebus inducere, et quasi Circeo quodam poculo ad eam dementiam homines adigere, ut certi ac firmi in quo insistant nihil habeant, sed modo huc modo illuc incertis opinionum fluctibus agitati vagentur? Si pharmacopola aliquis oppida circumiens eiusmodi venenum venale circumferret quod potu quidem iucundissimum esset sed potum adimeret hominibus omne iudicium veri et falsi, omnes, ut
35 opinor, ei adveniendi portas clauderent, omnes eum a finibus suis abigerent; interdicerent etiam, ne quis ab eo eius veneni miscendi ac temperandi rationem didicisse vellet. At non dissimilem in eloquentia inesse vim ipsi illius professores praedicant. An, si quis alienas fruges excantaverit, aut malis carminibus mentem alicui eripuerit, afficietur supplicio, idque aut docuisse aut didicisse capitale erit; qui mellitis verbis et ad fallendum compositis
40 multitudinem infatuaverit eique gravissimis in rebus illuserit, aliosque eandem fallendi ac circumscribendi artem docuerit, is non modo ante oculos omnium impune volitabit, sed ultro ob eam ipsam causam amplissima sibi decerni praemia postulabit? An, qui iudicem pecunia corruperit, exulabit; qui eloquentia, laudabitur? At hoc eo etiam tetrius ac scele-
45 ratius est, quod pecunia corrumpi nisi improbus et impurus iudex non potest: eloquentia etiam optimorum virorum iudicia interdum depravantur. Itaque ut Pittacus gravio-
poenam constituerat, si quis alienam uxorem blanditiis ad faciendum adulterium pellexisset, quam si ei vim attulisset, quod vi adhibita corpus tantum, blanditiis etiam animus

30 **Circeo**] B, V: Circaeio F

41 **volitabit**] B, V: volabit F

30–31 **Circeo . . . poculo**] De poculo scilicet, quod Circe Ulixi obtulit, specie illiciens sed medicamentis nocivis impletum. Vid. Hom. *Od.* 10.233–38.

45–48 **Pittacus . . . corrumpetur**] Satis compertum est Pittacum leges promulgavisse contra inebrietatem. At non est perspicuum cur Muretus eum dixerit has poenas statuere contra adulteros qui verbis potius quam vi uterentur.

corrumpetur: ita qui fictis verbis severitatem iudicum inflectunt, gravius puniendi es-
sent, quam qui eos largitione corrumpunt. Lacedaemonii quidem, quorum civitas optimis
50 institutis temperata putabatur, nullum apud se huic praestigiatrici locum esse voluerunt,
sed simplex quoddam et apertum et paucissimis contentum verbis adamarunt dicendi ge-
nus. Athenienses autem, apud quos ista et nata et alta atque educata et suo quasi mundo
muliebri instructa et exornata Pandora est, quid non ab ea malorum ac calamitatum per-
tulerunt? Grata enim et accepti beneficii memor alumna non aliunde sibi potius quam a
55 lare aut ut ipsi loquuntur, a Vesta incipiendum putavit: et altricibus suis Athenis egregia
sane nutricia persolvit. Nam quibuscunque tempestatibus ac procellis Atheniensium ve-
xata respub. est, earum longe maximam partem oratoribus suis acceptam ferre meritissimo
potest. Quorum etiam unus, ut Enceladus, cui mons Aetna impositus est, quoties se com-
morit, totam Siciliam concutere dicitur, ita ipse, cum se dicendo incitaverat, universam

57 **respub.**] F: Resp. B: Respublica V

49–50 **Lacedaemonii . . . nullum . . . locum voluerunt**] Cf. Plutarchi *Vitam Lycurgi*, illius Lacedae-
moniorum regis qui amisisse dicitur omnes artes “inutiles” et “non necessarios,” inter quas numerandam
putavit artem rhetoricam: μετὰ δὲ τοῦτο τῶν ἀχρήστων καὶ περισσῶν ἐποιεῖτο τεχνῶν ξηνηλασίαν. . . .
οὐδὲ ἐπέβαινε τῆς Λακωνικῆς οὐ σοφιστῆς λόγων . . . (IX, 3).

50 **praestigiatrici**] F.: “Plautinum hoc verbum est.” Vid. Fantazzi (2014): Ioannes Pico usus est verbo tem-
porali “praestigiari” cum Ciceronianos et artem oratoris reprehenderet (p. 147). Potest fieri ut Muretus hanc
controversiam in lectorum mentem revocare voluerit.

52 **et nata et alta atque educata**] Apud Ciceronem haec reperiuntur: “Videsne igitur vel in ea ipsa urbe,
[id est, Athenis], in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem?” (*Brutus* 39). F. hunc
locum animadvertit.

58 **ut Enceladus, cui mons Aetna impositus est**] Enceladus, secundum fabulam, Gigantibus ortus est
positusque sub montem Aetnae in Sicilia situm. Vid. Virgilium: “Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
| urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam | impositam ruptis flammam exspirare caminis; | et fessum
quotiens mutet latus, intremere omnem | murmure Trinacriam, et caelum subtexere fumo” (*Aen.* III, 578-82).

59–60 **ita ipse . . . dicebatur.**] F. locum animadvertit: ἐντεῦθεν ὀργῆ Περικλέης οὐλύμπιος | ἤστραπτ’
ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα” (Aristophanis *Acharnenses* l. 530). Animadvertendus et conferendus etiam
est locus Mureti alibi repertus: “Quid Periclem illum, cuius in labris persuadendi Deam sessitavisse dictum

60 permiscere ac perturbare Graeciam dicebatur.

Et ea ipsa tamen in civitate ab Areopago eloquentia exulabat. Quod enim templum Iustitiae dicaverant, in id patere aditum iudiciorum corruptrici eloquentiae noluerunt. Nam quod a multis persaepe dictum est, non eloquentiae istam culpam esse, sed hominum ea secus quam oportet utentium; ipsius quidem hunc esse finem, ut innocentiae, non
65 flagitio, ut aequitati, non iniustitiae, ut veritati, non ut mendacio patrocinetur: videamus, ne rebus ipsis haec oratio refellatur. Veritatis per se magna vis est, ita ut suis opibus pol-
lens, suis copiis freta, suis praesidiis firma, aut nihil aut non admodum externa auxilia
requirere videatur. Itaque idem ille, quem principio nominavi, Euripides veritatis simpli-
cem esse ait orationem, neque ullis medicamentis ac lenociniis indigere. Neque quisquam
70 unquam se orator magnopere iactaverit, quod veram et iustam causam obtinuerit; ne di-
gnantur quidem ad eas, quae huiusmodi sunt, accedere. Si quem depositum ac desperatum
et manifestis criminibus oppressum et tacito omnium praeiudicio morti destinatum reum
recipere potuerint: in eo sibi placent, se circumspiciunt, se iactant, coelum digito sibi vi-
dentur attingere, ut cum Cicero in Cluentiana causa gloriatus est se tenebras iudicibus
75 offudisse. Quanto verior esset gloriandi causa, si tenebras ab eorum animis discussisset,
si omnem errorem eripuisset, si id de quo iudicaturi erant in clara, ut ita dicam, luce viden-
dum collocasset? At hoc viri boni erat, non oratoris boni. Immo vero, ait alius, ne orator
quidem esse potest, nisi qui vir bonus sit. Scio istud dici et ad auctorem M. Catonem re-
ferri: sed me magis Aristoteles movet, qui me Philosophus cum aliis rebus rapit, tum quod

F. p. 330

73 **coelum**] V: caelum B, F

est, quem fulgurare, quem tonare, quem permiscere Graeciam Comici veteres tradiderunt . . .” (1557, p. 142).

68–69 **Euripides veritatis simplicem esse ait orationem**] Vid. illius *Phoenissas* 469: ἀπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφθ. Locum animadvertit Frank (1995) (p. 17, ann. 56).

79–82 **sed me magis Aristoteles movet etc.**] Alibi aliter de Aristotele videtur loqui. Duobus enim annis post hanc orationem habitam Aristotelem dicet artem rhetoricam “utilissimam esse hominum generi” docuisse, “quae[que] mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipsi adscribenda esse, sed eorum improbitati, qui re per se bona et salutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur” (1576b, pp. 347–8.)

80 mirifice veritatis amans videtur. Is igitur, bonus vir sit orator an minus, negat quicquam
ad artem pertinere: illud quidem esse in arte vel praecipuum, ita fingere ac conformare
orationem, ut te, quicumque sis, ii qui audient bonum virum esse et sibi amicum putent.
Egregiam vero et expetendam artem, quae eam iniustitiae partem doceat, qua nulla capi-
talius est, quo modo consequi possis, ut cum maxime fallas, tum maxime vir bonus esse
85 videaris. Quodsi maxime ad verum et ad falsum persuadendum utilis est eloquentia, tamen
in tanto periculo et in tanta multitudine hominum ea improbe utentium, non passim neque
quibuslibet usus illius permittendus esset; sed ut Cretenses armorum tractationem ingen-
uis permittebant, servis denegabant, ita deligendi essent publice ex omni multitudine certi-
tantum, qui eloquentiae praeceptis instituerentur. Quid enim est, quo ista praeclara facul-
90 tas, cum semel frontem perfricuit, progredi non audeat? Ornat exquisitissimis laudibus res
contemptissimas et abiectissimas, comam, calvitium, culicem, muscam; nonnullas etiam
aperte malas et hominum generi noxias, febrem, pestem, bellum, stultitiam; homines te-
rerrimos, Phalarin, Busirin et eiusmodi alios. Quae etsi nonnullis fortasse toleranda videri
possint, ut ludicra neque alio pertinentia quam ad exercitationem et ad ostentationem in-
95 genii: tamen haud scio an rectius ex civitate tollerentur. Certissima enim pestis animorum
est mendacium, cui assuefieri periculosum est: cum, ut verissime cecinit Euenus, consue-
tudo progressu temporis tandem in naturam convertatur. Semper mihi placuit dictum So-

84 **possis**] B, F: possit V

Vid. praefationem (pp. 4-8).

87-88 **ut Cretenses . . .**] Aristotelis *Politica*: ἐκεῖνοι γὰρ [οἱ Κρηῆτες] τᾶλλα ταῦτὰ τοῖς δούλοις ἐφέντες
μόνον ἀπειρήκασιν τὰ γυμνάσια καὶ τὴν τῶν ὄπλων κτῆσιν (1264a).

90 **cum semel frontem perfricuit**] Fortasse Muretus de hoc apud Martialem loco cogitabat: “aut cum
perfricuit frontem posuitque pudorem” (XI.27.7).

93 **Phalarin**] Tyrannus qui bovem aenum fecit in quem hostes suos posuit et coquit.

93 **Busirin**] Qui venientes ad se diis sacrificabat.

96 **Euenus**] F. recte videtur locum animadvertisse: φημί πολυχρονίην μελέτην ἔμεναι, φίλε, καὶ δὴ | ταύτην
ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι (Aristotelis *Ethica Nichomachea* 1152a).

lonis, qui, cum Thespin primum tragoediarum scriptorem ipsum fabulas suas, ut tum mos
erat, docentem spectasset, postea quaesiisse ex eo dicitur, ecquid puderet, in tanta audito-
100 rum multitudine tam multa mentiri? cumque ille respondisset, turpe non esse, talia ioco F. p. 331
et agere et dicere: ibi tum prudentissimus senex baculo, quem ex Atheniensium consuetu-
dine gestabat, terram percutiens, “Nae nos,” inquit, “si istos iocos hic laudare assuescemus,
cito eosdem in contractibus et in iudiciis reperiemus.” Sed tamen, ne summo iure agamus,
neve omnia nimis ad vivum resecare videamur, demus hanc veniam Sophistis, ut tanquam
105 neurospastae aut ii, qui agilitate quadam et celeritate manuum levibus ac politis calculis
huc illuc movendis spectantium oculos eludunt, quos Graeci psephopaectas vocant, ita
ipsi quoque talibus argumentis inter pueros ludant: praesertim cum periculum non sit, ne
quis, quod muscam a magistro laudari audierit, in captandis postea ac colligendis muscis
nimis magnum studium ponat; aut quia febris pestisve multis laudibus ornata sit, talia
110 bona non ipsi potius rhetori evenire optet quam sibi. Quid? cum ea sibi ad dicendum
argumenta sumunt, quibus subruuntur fundamenta virtutum, amor honestatis excutitur,
animi hominum pestiferis ac nefariis opinionibus imbuuntur, tamen ne eos ferendos esse
dicemus? Olim quidem, cum Atheniensibus ob Oropum vastatam Sicyonii, qui eis iudices
a Senatu dati erant, mulctam quingentorum talentorum irrogassent, eaque iusto gravior
115 videretur: misere Athenienses legatos in hanc urbem, per quos a Senatu peterent, uti aut

98 **Thespin**] B, V: Thepsin F

114 **aeque**] B, F: aequae V

112 **tamen ne**] B, V: tamenne F

99 **docentem**] Id est, fabulam histriones docebat, rebusque ad fabulam pertinentibus praeerat.

102–103 **“Nae nos,” inquit . . .**] F. locum apud Plutarchum animadvertit: ἀρχομένων δὲ τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν τραγωδίαν κινεῖν, καὶ διὰ τὴν καινότητα τοὺς πολλοὺς ἄγοντος τοῦ πράγματος, οὐπω δ’ εἰς ἄμιλλαν ἐναγωνίον ἐξηγμένου, φύσει φιλήκοος ὦν καὶ φιλομαθῆς ὁ Σόλων, ἔτι μᾶλλον ἐν γῆρᾳ σχολῆ καὶ παιδιᾶ καὶ νῆ Δία πότοις καὶ μουσικῇ παραπέμπων ἑαυτὸν, ἐθεάσατο τὸν Θέσπιν αὐτὸν ὑποκρινόμενον, ὥσπερ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς. μετὰ δὲ τὴν θέαν προσαγορεύσας αὐτὸν ἠρώτησεν εἰ τοσοῦτων ἐναντίον οὐκ αἰσχύνεται τηλικαῦτα ψευδόμενος. φήσαντος δὲ τοῦ Θέσπιδος μὴ δεινὸν εἶναι τὸ μετὰ παιδιᾶς λέγειν τὰ τοιαῦτα καὶ πράσσειν, σφόδρα τῇ βακτηρίᾳ τὴν γῆν ὁ Σόλων πατάξας: ‘ταχὺ μέντοι τὴν παιδιάν,’ ἔφη, ‘ταύτην ἐπαινοῦντες οὕτω καὶ τιμῶντες εὐρήσομεν ἐν τοῖς συμβολαίοις’ (Sol. 29.4-5).

eius poenae gratia sibi fieret aut certe aliquid ex ea diminueretur. Eius legationis principes fuerunt Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus et Diogenes Stoicus. Quibus, dum otiosi in urbe sententiam Senatus exspectant, lubido incessit, Graeco more epidixis facere et quotidie in coetu ac conventu hominum de variis quaestionibus disputare. Ibi tum

120 Carneades, qui vi et copia dicendi antistare collegis putabatur, quodam die de iustitiae F. p. 332
 laudibus ornate ac luculenter dixisse perhibetur: cum quidem Ser. Galba et M. Cato ille Censorius ei disputationi interessent. Sed ille idem Carneades, quaecunque tum de iustitia dixerat, ea postridie contraria disputatione subvertit; multoque plura collegit quibus plannum faceret iustitiam meram esse stultitiam, oppidoque antiquos ac simplices esse illos qui

125 si modo impune iniusti esse possent, a facienda iniuria propter inanem quandam umbram et opinionem iustitiae temperarent. Sensit Senatus ad eam disciplinam nimio plus docilem esse multitudinem, neque tanti esse audire doctores Graecos composite ac modulate verba fundentes, ut propterea ferendum esset corrumpi civium ingenia et ad improbitatem ac nequitiam a fide et a virtute traduci. Conticescere igitur eos iussit et quam primum

118 **epidixis**] B, F: ἐπιδείξεις V

118 **epidixis**] Mos illo tempore pronuntiandi hic ostenditur: nam “epidixis” scribitur pro ἐπιδείξεις.

122–123 **Sed ille idem Carneades . . . subvertit**] F. Quintiliani animadvertit capitulum 35 libri duodecimi capitis 1: “nec Carneades ille, qui Romae audiente Censorio Catone non minoribus viribus contra iustitiam dicitur disseruisse quam pridie pro iustitia dixerat, iniustus ipse vir fuit.”

124 **oppido**] Adverbium – sensu “admodum” vel “omnino” – quod in Ciceronis orationibus non reperitur eoque a Mureto consulto, fortasse, adhibitum.

126–130 **Sensit Senatus . . . in Graeciam:**] Vid. Plutarchi *Vitam Catonis Maioris*; Plutarchus, tamen, non de disputatione omnia dicit quae Muretus: εὐθύς οὖν οἱ φιλολογώτατοι τῶν νεανίσκων ἐπὶ τοὺς ἄνδρας ἔεντο, καὶ συνησαν ἀκροώμενοι καὶ θαυμάζοντες αὐτούς, μάλιστα δ' ἡ Καρνεάδου χάρις, ἧς δύναμις τε πλείστη καὶ δόξα τῆς δυνάμεως οὐκ ἀποδέουσα, μεγάλων ἐπιλαβομένη καὶ φιλανθρώπων ἀκροατηρίων ὡς πνεῦμα τὴν πόλιν ἠχῆς ἐνέπλησε. καὶ λόγος κατεῖχεν, ὡς ἀνὴρ Ἕλληνας εἰς ἔκπληξιν ὑπερφυῆς πάντα κηλῶν καὶ χειρούμενος ἔρωτα δεινὸν ἐμβέβληκε τοῖς νέοις, ὅφ' οὗ τῶν ἄλλων ἡδονῶν καὶ διατριβῶν ἐκπεσόντες ἐνθουσιῶσι περὶ φιλοσοφίαν. ταῦτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἤρεσκε Ῥωμαίοις γινόμενα, καὶ τὰ μειράκια παιδείας Ἑλληνικῆς μεταλαμβάνοντα καὶ συνόντα θαυμαζομένοις ἀνδράσιν ἡδέως ἐώρων (22, 2-4).

130 remisit in Graeciam: ne populus ille, cuius potentia et auctoritas apud exteras gentes non
 armis magis quam opinione iustitiae creverat, bene dicendi studio captus bene vivendi
 studium abiiceret. At si iure ob eam rem Carneades vituperatus est, quomodo defende-
 tur Plato? Nam quae tum pro iustitia adversus iustitiam Carneades dixit, eorum semina
 135 ministis, quam multa huius generis in superiore libro Thrasymachus dixerit, quibus multo
 plura multoque ad persuadendum efficaciora in eo, quem nunc explicare ingredimur, a
 Glaucone et ab Adimanto adferuntur. Num igitur et Plato vituperandus, qui mandanda
 illa et consignanda litteris duxerit; et male Cicero, qui tot annis post eadem in suos de
 Repub. libros transtulerit; et nos hodie parum prudentes, qui vestra, adolescentes, ingenia
 140 quorum nobis cultura commissa est, in his potissimum disputationibus cognoscendis ex-
 erceamus? Immo vero et nulla in Platonem reprehensio cadit, et culpa vacat Cicero, et a
 nobis ex omni scriptorum numero nullus eligi poterat, in quo maiore fructu quam in Pla-
 tone vestra elaboraret industria. Nam ut ceterorum, quae supra diximus, dissolutionem in
 aliud tempus reservemus et eam tantum partem pertexamus, cuius praecipue caussa hunc
 145 sermonem exorsi sumus; dispar quidem fortasse Carneadis caussa atque ratio fuerit: Plato
 certe nihil se, nihil Philosophia indignum suscepit, nihil quod non omni ex parte ei, quem
 vere ac merito animorum Aesculapium nominavit antiquitas, conveniret. Non enim has F. p. 333
 subdolas iustitiae criminandae rationes ipse commentus est, neque earum quasi sator ac
 parens fuit: sed eas, cum ab hominibus improbis proditae vagarentur ac spargerentur li-
 centius, iamque per multorum animos quasi contagione quadam serperent, ne diffluent
 150 ac manarent latius, praecidendas ipse atque amputandas putavit. Non poterat autem iusti-
 tia perfecte cumulateque defendi, neque profiteri, quanto plus in ea non dignitatis modo,

135 **Thrasymachus**] B, F: Trasymachus V

143 **ceterorum**] B, F: caeterorum V

147 **Aesculapium**] F. hunc Diogenis Laertii locum animadvertit (III, 45): ἔστι καὶ ἡμέτερον οὕτως ἔχον·
 καὶ πῶς, εἰ μὴ Φοῖβος ἀν' Ἑλλάδα φῦσε Πλάτωνα, | ψυχὰς ἀνθρώπων γράμμασιν ἠκέσατο; | καὶ γὰρ ὁ
 τοῦδε γεγώς Ἀσκληπιός ἐστιν ἠτήρ | σώματος ὡς ψυχῆς ἀθανάτιο Πλάτων.

quod et adversarii fatebantur, sed utilitatis quoque, quam in iniustitia inesset, nisi omnia, quae pro iniustitia dici consueverant, accurate et exponerentur et refellerentur. Hoc igitur ita praestitit Plato, ut nihil in eius argumenti tractatione vafre, acute, callide, apte ad
155 fallendum dici possit, quod ipse praetermiserit. Ac Thrasymachum quidem, ut Sophistam, induxit, serio et ex animi sui sententia pro iniustitia perorantem. Cuius inania argumenta et futiles ratiunculas cum libro primo, nullo prope negotio, ludibundus refutasset Socrates, illam quasi velitationem multo gravior pugna excipit cum Glaucone et Adimanto. Quos
160 tamen, quia viri in primis boni erant et iustitiae amantes, statim a principio profitentes ac contestantes facit ea se dicturos non quae sentirent ipsi sed quae ab aliis dici solerent quaeque reprehendi ac convinci cuperent. Cum igitur accuratissime et exquisitissime ab eis esset accusata quidem et abiecta iustitia, defensa autem et collaudata iniustitia, ut vix eorum orationi resisti posse videretur: Deum immortalem, quo robore, qua firmitate, qua
165 copia argumentorum, quanto orationis impetu fregit ac dissipavit illas iniustitiae copias Socrates! Qui quidem eo rem perduxit, ut aperte demonstraverit, id quod etiam hodie nonnullis, Christiana religione imbutis, vix satis persuaderi potest, non tantum propter praemia, quae iustos et in hac vita comitantur et post mortem manent, neque propter F. p. 334 poenas, quas iniusti nullo modo effugere ac vitare possunt, sed etiam si quis iustis omnem praemiorum spem, iniustis omnem et infamiae et supplicii metum detrahat, infinitis
170 tamen partibus praestare, in mendicitate, in exilio, in morbis, in tormentis ac cruciatibus, in infamia atque odio, in equuleo atque ignibus iustum esse, quam cum iniustitia vivere in summis opibus et omni earum rerum, propter quas vulgo homines a iustitia desciscunt, copia circumfluentem. O non loquendi tantum, sed et sentiendi, ex illis veteribus, quos

156 **Sophistam**] F: *sophistam* B, V

166 **Socrates!**] F: *Socrates?* B, V

159 **illam quasi velitationem . . .**] Inde ab initio libri secundi.

173–174 **omni earum rerum . . . copia circumfluentem**] “Omni” cum “copia” intelligendum est.

175 Deus vera sui cognitione non afflaverat, unice magister, Plato, quae unquam par digni-
tati ac meritis erga omnem posteritatem tuis reperiri poterit oratio? Tu, quomodo animi
nostri a vitiorum sordibus purgari possint, ostendisti; tu, quemadmodum hominibus ad-
huc in terra versantibus coelestem quodammodo vitam vivere liceat, aperuisti; tu divina
cum humanis, quantum quidem humani ingenio id perfici potuit, copulasti; tu ea tradidi-
180 sti, quae nos, nos, inquam, ipsi, qui a Deo per Filium adoptati et coelesti doctrina imbuti
sumus, a te dici potuisse miramur. Sed Platonem laudare necesse non est: danda potius
opera est, ut quae ille divinitus scripsit, cognoscamus ac consequamur. Quam ad rem si
cui vobis usui meam esse posse operam creditis, dabo operam, quod in me erit, ne unquam
vestra vos de me opinio prorsus fefellisse videatur.

178 **coelestem**] B, V: caelestem F

180 **coelesti**] B, V: caelesti F

175–176 **quae . . . reperiri poterit oratio?**] Ordine verborum paulo mutato: “Quae oratio unquam reperiri poterit (quae) par (sit) dignitati ac meritis erga omnem posteritatem tuis?”

182–183 **si cui vobis usui**] Id est, “si vobis alicui usui . . .”

INDEX MURETI ORATIONUM

Infra omnes Mureti orationes quae apud Muretum (1834) reperiuntur sunt ordine positae secundum annum quo habitae sunt, tunc secundum volumen. Omnes paginarum numeri ad primum Frotscheri tomum pertinent.

1552. "De dignitate ac praestantia studii theologici." (I, 1, p. 114)
1554. "De laudibus literarum." (I, 2, p. 121)
1555. "De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores." (I, 3, p. 130)
1557. "De philosophiae et eloquentiae coniunctione." (I, 4, p. 136)
1560a. "Pro Francisco II Galliarum Rege ad Pium IV Pont. Max." (I, 5, p. 148)
1560b. "Pro Antonio Rege Navarrae ad Pium IV Pont. Max." (I, 6, p. 153)
1563. "De moralis philosophiae laudibus, cum eam docere inciperet." (I, 7, p. 160)
1564. "De moralis philosophiae necessitate, cum in ea docenda progredereetur." (I, 8, p. 168)
1565a. "De iustitiae laudibus." (I, 9, p. 175)
1565b. "De sui cognitione deque omnibus humani animi facultatibus." (I, 10, p. 182)
(non habita). "Pro Alfonso II Duce Ferrariae etc. ad Pium IV Pont. Max." (I, 11, p. 192)
1566a. "Pro Alfonso II Duce Ferrariae etc. ad Pium V Pont. Max." (I, 12, p. 196)
1566b. "Pro Carolo IX Rege Christianissimo." (I, 13, p. 203)
1567a. "Pro Sigismundo Augusto Rege Poloniae ad Pium V Pont. Max." (I, 14, p. 212)
1567b. "De toto studiorum suorum cursu deque eloquentia ac ceteris disciplinis cum iurisprudencia coniungendis." (I, 15, p. 222)
1569a. "Cum ad munus docendi quo se sponte abdicaverat revocatus sit." (I, 16, p. 227)
1569b. "De doctoris officio deque modo iurisprudentiam docendi." (I, 17, p. 229)
1571a. "De auctoritate et officio iudicum." (I, 18, p. 236)
1571b. "Post Turcas navali proelio victos." (I, 19, p. 245)
1572a. "In funere Pii V Pont. Max." (I, 20, p. 252)
1572b. "De via et ratione ad eloquentiae laudem perveniendi." (I, 21, p. 259)
1572c. "Pro Carolo IX Galliarum Rege Christianissimo ad Gregorium XIII Pont. Max." (I, 22, p. 264)
1572d. "In funere Hippolyti Cardinalis Estensis." (II, 20, p. 425)
1573a. "De utilitate iucunditate ac praestantia litterarum." (I, 23, p. 269)
1573b. "Cum explicare inciperet libros Platonis de optimo rei publicae statu (II, 4, p. 321)
1574a. "In funere Caroli IX Gallorum Regis." (I, 24, p. 280)
1574b. "Cum in Platone explicando progredereetur." (II, 5, p. 327)
1574c. "Ingressurus explanare M. T. Ciceronis libros de officiis." (II, 6, p. 334)
1575a. "Cum Senecae librum de providentia interpretaturus esset." (II, 3, p. 311)
1575b. "Aggressurus Saturam tertiam decimam Iuvenalis." (II, 12, p. 373)
1576a. "Ad S. D. Gregorium XIII." (I, 25, p. 285)
1576b. "Cum Aristotelis libros de arte rhetorica interpretari inciperet." (II, 7, p. 340)
1576c. "Cum pergeret in eorundem Aristotelis librorum de arte rhetorica interpretatione." (II, 8, p. 345)

- 1577a. "Explicaturus libros Aristotelis de republica." (II, 9, p. 352)
- 1577b. "Interpretaturus C. Sallustium de Catilinae coniuratione." (II, 10, p. 358)
1579. "Cum explanaturus esset Aeneida Virgilio." (II, 11, p. 366)
- 1580a. "Cum Annales Taciti explanandos suscepisset." (II, 13, p. 376)
- 1580b. "Sequitur in eodem argumento." (II, 14, p. 382)
1581. "Cum pervenisset ad Annalium librum tertium." (II, 15, p. 392)
- 1582a. "De S. Iohanne evangelista." (II, 2, p. 307)
- 1582b. "Cum interpretari inciperet epistolas Ciceronis ad Atticum." (II, 16, p. 399)
1583. "Repetiturus libros Aristotelis de moribus." (II, 17, p. 407)
- 1584a. "In funere Pauli Foxii Archiepiscopi Tolosani." (I, 26, p. 290)
- 1584b. "De mysterio et festo circumcisionis Dominicae." (II, 1, p. 303)
1585. "Ad illustrissimos et reverendissimos S. R. E. cardinales . . ." (II, 19, p. 420)
- (sine anno). "De via ac ratione tradendarum disciplinarum." (II, 18, p. 415)
- (sine anno). "In funere Iohannis Episcopi militiae Melitensis magni magistri." (II, 21, p. 431)

CONSPECTUS FONTIUM PRIMARIORUM

- Augustinus. (1992). *Confessions*. Ed. J. J. O'Donnell. Tom. I. Oxonii: Oxford University Press.
- Bembus, P. (2003). *Oratio pro litteris Graecis*. Ed. N. G. Wilson. Messanae: Centro interdepartimentale di studi umanistici.
- Bencius, F. (1585). "Oratio in funere M. Antonii Mureti." Romae: Apud Franciscum Zanetum.
- Budaeus, G. (1557). *Lucubrationes varie*. Basiliae.
- Calcidius. (1962). *Timaeus a Calcidio translatus commentarioque instructus*. Ed. J. H. Waszink. Londini et Lugduni Batavorum: In aedibus Instituti Warburgiani et E. J. Brill.
- Ciofanus, H. (1575). *In P. Ovidii Nasonis Metamorphosin ex XVII antiquis libris observationes*. Venetiis: Aldus.
- Dellaneva, J. (2007). *Ciceronian Controversies*. In Anglicum sermonem vertit B. Duvick. Cantabrigiae Massachusettae: Harvard University Press.
- Erasmus, D. (1530). *Euripidis tragoediae duae, Hecuba et Iphigenia in Aulide, Latinae factae*. Basileae.
- Idem. (1971). *Dialogus Ciceronianus*. Ed. Pierre Mesnard in *Operum Omnium Desiderii Erasmi Roterodami ordinis primi tomo II* (pp. 581-710). Amstelodami: North-Holland Publishing Company.
- Ficinus, M. (1546). *Omnia divini Platonis opera*. Basiliae.
- Manutius, A. (2016). *The Greek Classics*. Ed. N. G. Wilson. Cantabrigiae Massachusettae: Harvard University Press.
- Montanus, M. (1965). *Essais*. Tom. I. Lutetiae Parisiorum: Gallimard.
- Muretus, M. A. (1554). *Catullus et in eum commentarius*. Venetiis: Apud Paulum Manutium Aldi filium.

- Idem. (1555). *Horatius. M. Antonii Mureti in eundem annotationes*. Venetiis: Apud Paulum Manutium Aldi filium.
- Idem. (1555). *Argumentorum et annotationum in Terentium liber*. Venetiis: Apud Paulum Manutium Aldi filium.
- Idem. (1557). *Orationum Ciceronis in Catilinam explicatio*. Venetiis: Ioannes Gryphius.
- Idem. (1723). *Orationes*. Veronae: Apud Ioannem Albertum Tumermanum.
- Idem. (1789). *M. Antonii Mureti opera omnia*. Ed. D. Ruhnkenius. Tomi IV. Lugduni Batavorum: Apud Samuelem et Johannem Luchtmans.
- Idem. (1834). *M. Antonii Mureti opera omnia*. Ed. C. H. Frotscher. Tomi II. Lipsiae.
- Idem. (1841). *M. Antonii Mureti opera omnia*. Ed. C. H. Frotscher. Tomus III. Lipsiae.
- Idem. (2006). *The Juvenilia of Marc-Antoine Muret*. Ed. K. Summers. Columbus, OH: The Ohio State University Press.
- Idem. (2009). *Juvenilia*. Ed. V. Leroux. Genavae: Droz.
- Origen. (1857). *Opera omnia*. Ed. J. P. Migne. Tom. I. *Patrologiae Graecae* tom. XI. Lutetiae Parisiorum.
- Salutatus, C. (1896). *Epistolario di Colluccio Salutati*. Ed. Franciscus Novatus. Tomus III. *Fonti per la storia d'Italia*. Romae: Istituto Storico Italiano.
- Scaligerus, J. (1608). *Fabulae Burdoniae confutatio*. Lugduni Batavorum: Ioannes Patius.

CONSPECTUS FONTIUM SECUNDARIORUM

- Armstrong, M. (1997). *The Franciscans in Paris, 1560-1600*. In universitate Torontina.
- Berschin, W. (1988). *Greek Letters and the Latin Middle Ages: From Jerome to Nicholas of Cusa*. Trans. J. C. Frakes. Vasingtoniae, D.C.: Catholic University of America Press.
- Bischoff, B. (1951). "Das griechische Element in der abendländischen Bildung des Mittelalters." *Byzantinische Zeitschrift* 44: 25-55.
- Celenza, C. (2007). "The Revival of Platonic Philosophy." In *The Cambridge Companion to Renaissance Philosophy*. Ed. J. Hankins (pp. 72-96). Cantabrigiae: Cambridge University Press.
- Cicolella, F. (2008). *Donati Graeci. Learning Greek in the Renaissance*. Lugduni Batavorum: Brill.
- Copenhaver, B., & C. B. Schmitt. (1992). *Renaissance Philosophy*. Oxonii: Oxford University Press.
- Croll, M. W. (1924). "Muret and the History of 'Attic' Prose." *PMLA* 39 (2): 254-309.
- D'Amico, J. (1984). "The Progress of Renaissance Latin Prose: The Case of Apuleianism." *Renaissance Quarterly* 37: 351-92.
- Dejob, C. (1881). *Marc Antoine Muret, un professeur français en Italie dans la seconde moitié du XVIe siècle*. Lutetiae Parisiorum: Ernest Thorin.
- Dionisotti, A. C. (1988). "Greek Grammars and Dictionaries in Carolingian Europe." In *The Sacred Nectar of the Greeks: The Study of Greek in the West in the Early Middle Ages*. Ed. M. W. Herren (pp. 1-56). Londini: King's College London Medieval Studies.
- Fantazzi, C. (2014). "Imitation, Emulation, Ciceronianism, Anti-Ciceronianism." In *Brill's Encyclopaedia of the Neo-Latin World* (pp. 141-153), edd. P. Ford, J. Bloemendal, C. Fantazzi. Lugduni Batavorum: Brill.
- Frank, M., ed. (1995). *Seneca's Phoenissae: Introduction and Commentary*. Lugduni Batavorum: Brill.

- Fumaroli, M. (1994). *L'âge de l'éloquence: Rhétorique et "res literaria" de la Renaissance au seuil de l'époque classique*. Lutetiae Parisiorum: Albin Michel.
- Geanakoplos, D. J. (1962). *Greek Scholars in Venice: Studies in the Dissemination of Greek Learning from Byzantium to Western Europe*. Cantabrigiae, MA: Harvard University Press.
- Idem. (1974). "The Discourse of Demetrius Chalcondyles on the Inauguration of Greek Studies at the University of Padua in 1463." *Studies in the Renaissance* 21: 118-144.
- Ginsberg, E. S. "Marc-Antoine de Muret: A Re-Evaluation." In *Acta Conventus Neolatini Guelpherbytani. Proceedings of the Sixth International Latin Congress, Wolfenbüttel, August 1985* (pp. 63-70), edd. M. Di Cesare, S. Revard, F. Rädle. Binghamtoniae: Medieval and Renaissance Texts and Studies.
- Giro, J.-E. (2012). *Marc Antoine Muret: des Isles fortunées au rivage romain*. Genavae: Droz.
- Gmelin, H. (1932). "Das Prinzip der Imitatio in den romanischen Literaturen der Renaissance." *Romanische Forschungen*, 46: 83-360.
- Gravelle, S. S. (1982). "Lorenzo Valla's Comparison of Latin and Greek and the Humanist Background." *Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance* 44: 269-289.
- Hankins, J. (1990). *Plato in the Italian Renaissance*. Tomus I. Lugduni Batavorum: Brill.
- Herren, M. W. (2015). "'Pelagian Fountains': Learning Greek in the Early Middle Ages." In *Learning Latin and Greek from Antiquity to the Present*, edd. E. Archibald, W. Brockliss, & J. Gnoza (pp. 65-82). Cantabrigiae: Cambridge University Press.
- Kristeller, P. O. (1956). "Humanism and Scholasticism in the Italian Renaissance." In *Studies in Renaissance Thought and Letters* (pp. 553-583). Romae: Edizioni di Storia e Letteratura.
- Lamers, H. (2016). *Greece Reinvented: Transformations of Byzantine Hellenism in Renaissance Italy*. Lugduni Batavorum: Brill.
- Lines, D. A. (2002). *Aristotle's Ethics in the Italian Renaissance (ca. 1300-1650): The Universities and the Problem of Moral Education*. Lugduni Batavorum: Brill.

- Lowry, M. (1979). *The World of Aldus Manutius: Business and Scholarship in Renaissance Venice*. Cantabrigiae: Cornell University Press.
- McNeil, D. O. (1975). *Guillaume Budé and Humanism in the Reign of Francis I*. Genavae: Droz.
- Monfasani, J. (1999). "The Ciceronian Controversy." In *The Cambridge History of Literary Criticism*, tom. III. Ed. G. P. Norton (pp. 395-401). Cantabrigiae: Cambridge University Press.
- Moran, P. (2012). "Greek in Early Medieval Ireland." In *Multilingualism in the Graeco-Roman Worlds*, edd. A. Mullen & P. James (pp. 172-192). Cantabrigiae: Cambridge University Press.
- Morrison, M. (1956). "Ronsard and Catullus: The Influence of the Teaching of Marc-Antoine Muret." *Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance* 18: 240-274.
- Russell, P. (2012). "An habes linguam Latinam? Non tam bene sapio: Views of Multilingualism from the Early Medieval West." In *Multilingualism in the Graeco-Roman Worlds*, edd. A. Mullen & P. James (pp. 193-224). Cantabrigiae: Cambridge University Press.
- Sabbadini, R. (1885). *Storia del Ciceronianismo e di altre questioni letterarie nell'età della Rinascenza*. Augustae Taurinorum: Loescher.
- Idem. (1886). "Vita e opere di Francesco Florido Sabino." *Giornale storico di letteratura italiana* VIII: 333-363.
- Idem. (1924). *Giovanni da Ravenna, insigne figura d'umanista*. Comi.
- Trinquet, R. (1965). "Recherches chronologiques sur la jeunesse de Marc-Antoine Muret." *Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance*, 27: 272-285.
- Tunberg, T. O. (1997). "Ciceronian Latin: Longolius and Others." *Humanistica Lovaniensia* 46: 13-61.
- Idem. (2001). "De Marco Antonio Mureto oratore et Gallo et Romano." *Humanistica Lovaniensia* 50: 303-327.
- Idem. (Nondum editum). "De Erasmo eloquentiae praeceptore." *Humanistica Lovaniensia*.

Weiss, R. (1977). "Petrarca e il mondo greco." In *Medieval and Humanist Greek* (pp. 166-192). Patavii: Editrice Antenore. [Antea editus in *Atti e Memorie dell'Accademia Petrarca di Lettere, Arti e Scienze di Arezzo XXXVI* (1952-53), pp. 65-96].

Vita

Stephanus Hill baccalaureatus est (anno 2010o) summa cum laude in Bryan College (Dayton Tennesiae), ubi in litteras Anglicas incubuit. Operam dedit arti linguae Anglicae peregrinis docendae et scientiae linguas alienas adipiscendi in Academia Illinoesiensi quae est Urbanae sita gradumque magistralem accepit (anno 2014o). Thesim quoque scripsit, cui titulus “Scientific Laws and Causality in the Philosophy of Second Language Acquisition: A Neo-Aristotelian Approach,” ob quam praemio affectus est in honorem Catarinae O. Aston instituto. Inde ab anno 2014o, in Academia Kentukiae discipulus est litterisque classicis operam dat. Inde ab anno 2012o, docet scholas aestivas quae ad linguam Graecam pertinent quaeque sola lingua Graeca celebrantur et Floridae et Romae.

Stephen Hill earned a bachelor’s degree in English *summa cum laude* from Bryan College in 2010. He studied English language teaching and second language acquisition, along with Greek and Latin literature, at the University of Illinois at Urbana-Champaign, where he earned an M.A. in Teaching English as a Second Language (with distinction) in 2014. Also at Illinois, he received the Katherine O. Aston Award for his MA thesis, “Scientific Laws and Causality in the Philosophy of Second Language Acquisition: A Neo-Aristotelian Approach.” Since 2014, he has studied at the University of Kentucky in the Classics M.A. program through a Graduate School fellowship and then a teaching assistantship. Since 2012, he has taught intensive summer Greek courses (organized by the Polis Institute, Jerusalem) at Ave Maria University (Florida) and the Pontifical University of the Holy Cross in Rome.